



De poenitentia, & ijs quae ad poenitentiam agendam necessaria sunt. Homiliae XXV

<https://hdl.handle.net/1874/453039>

f

5

DE POENI
tentia, & ijs quæ

AD POENITENTIAM
agendam necessa-
ria sunt.

HOMILIAE XXV.

Autore Ioanne Brentio.

HIS PRÆMISSA EST
DOCTRINA DE POENITENTIA,
*ideo repetita, ut præstigiæ de Satisfactionis
bus, recens excogitate à quibusdani
Sophistis refutarentur.*

Autore Philippo
Melanth.

FRANCOFORTI EX
Offiina Petri Brubacchi,
Anno 1557.

DE POENI

tenna & is dux

AD POENITIAM

NOVEMBRE XXV

AD POENITIAM

HIS R. AMBROSII

DOCT. DE POENITIA

IN QUINQUE LIBRIS

COMPOSITA

ET

LIBRIS

LIBRIS

IN QUINQUE LIBRIS

COMPOSITA

ET

De Pœnitentia

PHILIP. MERTON.
LANTHON.



IN Ecclesijs nostris Dei beneficio præcipuè extat illustris explicatio Doctrinæ de Pœnitentia, sicut maximè necessarium est eum locum notissimū esse in Ecclesia, quia complectitur summam Euangelij, & monstrat præcipuum beneficium Filij Dei: imo ut initium fuit Ecclesiæ receptæ in Paradiso doctrina de Pœnitentia: ita semper eodem modo in Ecclesia sonare hæc uox debet usq; ad resurrectionem.

Et intelligi facilimè poterit huius doctrine summa, si primum exemplū aspiciatur: ibi primum arguitur peccatum uoce Dei: & non dubium est accusante Deo, & sonante ipso tristis-

PHILIP. MELANTH.

simam accusationem, horribiliter expauescere humanam naturam, ita primum extitit contritio tunc in primis parentibus. Et quid sit contritio, quomodo fiat, in eodem exemplo conspici potest. Accedit ibi & confessio peccati, quia reuera coram Deo oportet hanc confessionem fieri, nos reos esse & iuste puniri.

Deinde sonante promissione recipiuntur Adam & Eua: hæc est absolutio, qua audita, accenditur fides, qua agnoscunt se recipi per misericordiam propter semen promissum; & in corde noua consolatio, est inchoatio nouæ obedientiæ, quæ iam placet Deo: ita facta est integra conuersio. Imponuntur & pœnæ, uidelicet mors, & aliæ calamitates huius uitæ, quia Deus etsi remittit culpam, & aufert mortem æternam, tamen propter iusticiam aliquas pœnas imponit: & ut ipsius iusticia, et ira aduersus peccata conspiciat

conspiciantur, totum genus humanū horribilibus miserijs in hac uita oneratur. In his pœnis tamē promittitur Ecclesiæ consolatio, Vt tunc Deus ipse uestit primos parentes pelle detracta ab ouicula, qua imagine significatum est futuræ, ut nouis corporibus uestiamur, et qdē sumptis ab agno Christo.

Hanc totam historiam prodest sæpissime cogitare, ut hoc ipso exemplo nos de omnibus partibus pœnitentiæ seu conuersionis commonefaciamus, item, ut inde discamus tunc inchoatum esse ministerium Euangelij, in quo semper una uox sonat arguens peccata, & offerens remissionem propter filium.

Verū non tantum in hac recentitate Monachorum obscurata fuit doctrina de Pœnitentia multis labyrinthis, & falsis opinionibus, sed etiā uetustis seculis, quando Canonēs satisfactionum creuerunt hac supersti-

tiosa persuasione, quòd mererent remissionem peccatorum, tunc quoque magna tenebrae fuerunt. Sed in disputationibus recentioris ætatis, plus fuit inextricabilium questionum, & omnino silentium fuit de fide accipiente remissionem peccatorum. Ideo non dubium est fuisse necessariam explanationem veræ doctrinæ de Pœnitentiâ, quam in Ecclesia semper extare perspicuam necesse est, & quam singuli homines quotidie in inuocatione totam cogitare debent. Credo autem rectè & perspicuè explicatam esse in nostris Ecclesiis, & de ea sententiâ, quam in Locis complexus sum, nihil muto.

Cùm autem Synodus Bononiensis ordine de partibus fecerit decreta, quorum alia ambigua sunt, alia aperte falsa, dicam breuiter de singulis partibus, non ut plus sit intricatarum disputationum, sed potius ut euoluta doctrina planius intelligatur.

DE CONTRITIONE:



Mitto rixas de causis cō-
 tritionis. Si sint ueri, &
 non simulati pauores &
 dolores, intuentes iram
 Dei aduersus peccata, & accedat fi-
 des, quę facit ex timore seruili filialē,
 dico esse uerā contritionem, & assen-
 tior has causas cōcurrere, uerbū Dei
 arguens peccatum, & Deum hoc uer-
 bo incutientem terrorem, et mentem
 cogitantem de ira Dei, & uoluntatē,
 & cor serio expauescens, et dolens q̄
 offenderit Deum. Talem aliquam cō-
 tritionem dico necessariam esse, ut se-
 pissimè scriptū est, ij. Cor. vij. Contri-
 stati estis ad pœnitentiam. Esaię lxvi.
 Ad quem respiciam nisi ad humilia-
 tū, & contritum spiritum, & tremen-
 tem sermones meos, Et Ezech. xx. Di-
 splicebitis uobis in conspectu uestro.

Ac uarię possunt esse occasiones

inchoandi dolorem, ut aliter uocatur Zachæus, aliter Paulus, aliter Manafes, aliter mulier peccatrix. Sed in omnibus necesse est existere pauores, et dolores: & uarij dolores miscentur, quos subtiliter discernere non est opus: ut alij disputarunt de amore iusticiæ, & timore pœnæ. Imo uult Deus pœnas metui, & esse eas uelut uocem diuinam commonefacientem totum genus humanum de ira aduersus peccatum, ut testantur maledictiones in lege, quæ propter has duas causas addite sunt legi.

Primum, ut sciamus opus esse iusticiæ Dei, quod peccata puniuntur tantis calamitatibus. Deinde ut sciamus has ipsas calamitates esse uocem legis commonefacientem nos de pœnitentia.

Sic passim Prophetæ loquuntur de calamitatibus, ut in Psalmo: Propter iniquitates corripis filios hominum. Displicent Deo horribiliter securæ mentes, non considerantes iram Dei, aut etiam

etiam elatae inani fiducia suae sapientiae, suae iustitiae, aut potentiae, sicut Paulus ad Ephesios inquit, impios esse ἀπληγκτότας, id est, sine dolore uiuere, & Ieremias: Erubescere nescierunt,

Quare sciamus temulentam uitam in ocio & uoluptatibus ualde periculosam esse: & Deus praecipue suam Ecclesiam subiecit cruci, quia praecipue in Ecclesia uult conspici iram aduersus peccatum, cum eam mundus negligat.

Haec sententia de contritione, nihil obscuri continet: loquor enim de ueris doloribus qui sentiuntur, suntque in alijs minus, in alijs magis acres: ut Ezechias inquit: Sicut leo contriuit omnia ossa mea, &c. Haec tantum admonitio adiungatur, ut sine obscuritate discernantur timor seruilis, et filialis, seu dolor Iudae & dolor Petri. Timor seruilis est uerus pavor sine fide. Sed timor filialis fit, cum ad pauorem accedit fides, qua cum incipit cor accedere

PHILIP. MELANTH:

read Deum, & accenduntur initia fidei, & spei, subiicit se Deo, & prædicat eius iusticiam, iuxta illud: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio, &c.

Cæterum hæc duo necessario reprehendenda sunt in doctrina Monachorum de contritione, quod querunt sufficientem contritionem, & deinde affingunt horribile mendacium, hanc sufficientem contritionem mereri remissionem peccatorum: nec dicunt de fide gratis accipiente remissionem propter mediatorem. Hi errores sunt magni, & tetri. Quid est enim querere sufficientem contritionem? Nulli dolores ullius creaturæ, quātumuis magne, pares sunt iræ Dei, ut dicitur: Deus ignis consumens est, nec possunt compensare peccatum: & quo magis crescit dolor sine fide, eo magis merguntur animi in mortem & exitium: Ideo necesse est hos errores taxari.

In altero errore, etiam deploranda
&

DE POENITENTIA, 6

& detestanda est cecitas, cum dicunt
 contritionem mereri remissionem pec-
 catorum, ubi transferunt in nostrum opus
 honorem debitum Filio Dei: & Paulus
 toties inculcat particulam gratis, qua
 excludit, ut saepe dictum est, non contri-
 tionem & ceteras uirtutes, non cogi-
 tationem de ira Dei, & de promissioni-
 bus, & c. sed excludit dignitatem, seu
 opinionem meriti. Deinde quantae te-
 nebrae sunt, quae non solum nihil de fide
 in doctrina poenitentiae dicunt, sed etiam
 pertinaciter negant opus esse hac fide:
 credas tibi ipsi remitti propter media-
 torem, & c. qua promissionem tibi ipsi
 applies. Ac relinquunt mentes in per-
 petua dubitatione: quia inquirunt, ne-
 scis an contritio fuerit sufficiens, ideo
 semper dubites an tibi data sit remissio.
 Haec imaginatio prorsus est Ethnica.

Nos contra, his erroribus opponi-
 mus uocem Euangelij, & dicimus, o-
 portere aliquam esse contritionem,

PHILIP. MELANTH.

id est, ueros pauores, & dolores intuentes iram Dei, qui in alijs magis, in alijs minus acres sunt: sed nō pendet ex horum magnitudine remissio, uerū oportet accedere fidem, qua tibi ipsi credas remitti gratis propter mediatorem. De hac fide dictum est: iustificati fide pacē habemus apud Deum: & si hæc fides, & fiducia Filij Dei non accenditur, mens nō intuetur Filium Dei, nō ducit propiciatorem esse. Necessē est autē te ipsum agnoscere Filium Dei, & hunc ei proprium honorem tribuere, ut tibi propiciatorē, & intercessorem, & summum sacerdotem esse statuas. Hunc honorem non ei tribuunt Diaboli, qui etiam norunt articulum, remissionem peccatorū uel delicti donari alijs, non sibi. Itaq; dicitur nec homo tantum hanc generalem sententiam credit, alijs remitti non sibi, nondum tribuit uerū honorem Filio Dei, nec sibi applicat promissionem. Itaq;

Itaq; luceat in Ecclesia discrimen legis et Euangelij, & sciāt omnes propriam esse Euangelij promissionem, quæ ostendit mediatorem Filiū Dei, & promittit propter eū gratis remitti peccata: & in hanc promissionem uniuersalem singuli nos in ueris doloribus includamus, & sciamus mandatum Dei esse, ut Filiū Dei audiamus, & ei tribuamus honorem propiciatoris, & promissionem amplectamur.

Cū igitur hoc modo sustētamus nos cogitatione promissionis, & Filij Dei, accenditur fides, & causæ cōcurrentes sunt, uox Enāgelij, & Spiritus sanctus, & mens cogitans promissionem, & uoluntas, ac cor non repugnans, sed expetens consolationem diuinā, & assentiens promissioni, cū quidē & à Spiritu sancto adiuuatur, & inter tristes gemitus erigitur conspectu Filij Dei, quem statuit non frustra factum esse uictimā: & hac fide

PHILIP. MELANTH.

credis non tantum alijs, sed tibi ipsi
propter Filium Dei gratis remitti.

Cum hæc fides accensa est, iam &
cōtritio fit timor filialis, & sacrificiū,
luxta illud: Sacrificium Deo gratum,
spūs contribulatus, &c. Cor irascitur
peccato: dolet Deū offensum esse, ali-
os lesos esse: dolet Ecclesiam pollutā
esse: dolet scādala excitata esse: dolet
Spūm sanctum in multis cōtristatum
esse: dolet attrahi pœnas familię, et ce-
teris: dolet impediri pœnis aliorū in-
uocationem, & alia necessaria officia.
Deniq; innumerabiles causæ magno-
rum dolorū concurrunt. Ita dolens se
subijcit Deo, fatetur esse iustam iram
Dei, et petit ueniā: & cum fide reuera
incipiat acquiescere in Filio Dei, cer-
tō accipit remissionē peccatorū. Ac di-
scamus hęc esse uolūtatem Dei, ut ac-
quiescamus in promissione, & statua-
mus nos sic recipi, & donari remissio-
ne pctōrū, idēq; agit minister: in absol-
uendo

DE POENITENTIA. 6

uendo applicat singulis pmissionem.

Simul etiam cum in tali contritione homo se subijcit Deo, & fide eum inuocat, et incipit acquiescere in mediatore, datur reuera Spiritus sanctus, et inchoatur noua obedientia: id est, uoluntas iam habet bonum propositum, agnita misericordia Dei incipit eum diligere, & inuocare, & non fugit, ut fugiunt Cain, Saul & similes.

Dixi quomodo fiat conuersio, scilicet concurrentibus his mutationibus. In homine primum fit contritio, cum cogitatione iræ Dei expauescunt corda, & uero dolore afficiuntur propter peccata. Deinde fit consolatio, qua fide accipitur remissio, & corda incipiunt acquiescere in Deo propter mediatorem, & rursus inchoant obedientiam, & spem uitæ æternæ. Hæc ita fieri manifestè testatur experientia omnium piorum in Ecclesia, quorum testimoniū non contemnendum est.

PHILIP. MELANTH.

ut Dauid expauescit primùm, inquit
 ens: Peccaui Dño. Deinde erigitur cõ
 solatione, credens absolutioni: Non
 morieris, Dominus abstulit peccatũ
 tuũ. Et Esaię xxxviii. rex Ezechias de
 scribit pauores: Quasi leo contriuit
 omnia ossa mea, &c. Postea & conso
 lationem: Proiecisti post tergũ omnia
 peccata mea. Et scripta priorũ ut Au
 gustini & Bernardi cõgruunt. Lon
 ga est concio Bernardi docentis con
 iungi oportere contritionem & fidẽ:
 Dicat quisq; in pauore suo, uadam ad
 portas inferorum, ut iam nõ nisi in so
 la Dei misericordia respiremus. Hęc
 est uera fiducia, quę ad pauores acce
 dit, cui misericordia non denegatur.

Sic & Prophetæ, & Apostoli de
 conuersione concionantur, ut Pau
 lus in hac ipsa Epistola cõiungit mor
 tificationem & uiuificationem. Ac
 ualde prodest moneri iuniores, hęc
 uocabula propriẽ de uera conuere
 sione

sione ad Deum intelligenda esse, & reijciendā esse interpretationem eorū, qui detorserunt Pauli dicta ad Hypocrisin, ad ritus Monachorū, et ad talia puerilia exercitia. Sed Pauli sententia perspicua est obseruanti pondera uerborum: Estis mortui peccatis, & circumcisi circumcisione nō manufacta, exuēdo corpus pctōrum carnis.

Hæc de contritione dicunt, postea de fide qua fit cōsolatio inquit: Simul resuscitati estis per fidem, qua Deus est efficax, qui uiuificauit uos cum Christo. Deinde utrāq; sententiam rursus illustri figura pingit: Condonans omnia peccata, delens chirographum qd per decreta contra nos est, quod erat contrarium nobis. Tunc autem cōspicitur chirographum scriptum in cordibus aduersari nobis, cū agnoscerimus in ueris doloribus nos reos esse. Hoc dictū ad contritionem pertinet. Deinde ad fidem pertinet quod addis

tur, deleri hoc chirographum suspensum de cruce facta condonatione.

Hęc interpretatio de conuersione, est simplex, uera & propria, quam quidem obseruare prodest, & ut Pauli sententia nobis obuia sit, et ut teneamus testimonium de his duabus mutationibus in conuersione, de mortificatione & uiuificatione, id est, de contritione & consolatione, quę fit per fidem, qua tibi ipsi credis remitti peccata propter mediatorem.

Hactenus recitavi quid in doctrina de contritione retineri necesse sit, & quid taxari oporteat: dixi item doctrinam de fide speciali, qua TIBI credis remitti, adiungendam esse, de qua supra in refutatione Articuli precipientis dubitationem, copiose dictum est.

Cum autem hæc nostra sententia sit ipsa uox Euangelij, inde usque à prima conuersione Adę & Heuę sonans in uera Ecclesia, & nihil sit obscuri, aut intricati

intricati in hac nostra explicatione, facile erit iudicare decreta Synodi Bononiensis: & ne quis dicat me fugere iudicium Ecclesie Dei, nō dubito pro uocare ad iudicia omnium priorum, qui nō sunt rudes exercitiorum poenitentie.

DE CONFESIONE.



Necessesse est iunioribus exponere & uocabula, & mores uetustos. Olim in Ecclesia consuetudo fuit lapsos ac reos talium scelerum, quae alijs nota erant, non recipere, nisi signa manifesta emendationis praecessissent. Ideo certi ritus erant, quorum nomen fuit publica poenitentia. Stabat homicida uel adulter coram Episcopo, et narrabat delictum suum, ut Episcopus modum castigationis indiceret, quod uocabatur satisfactio, Graeci modestius nominantur ἐπιτιμία, id est, notas seu castigationes. Cum enim alia delicta alijs

PHILIP. MELANTH:

modis punirentur, seu (ut ita dicā) nō
tarentur, exponi delictum opus erat,
ut modus pœnæ indiceretur: post eā
castigationem sequebatur absolutio.

Et initio hic ritus probabiles cau-
sas habuit. Fuit enim disciplina institu-
ta, & ut explorarentur uoluntates re-
deuntium ad Ecclesiam, an serio pro-
mitterent emendationem, et ut his ex-
emplis aliī commonefacti maiore cu-
ra uitarent lapsus. Nondum affinge-
batur opinio, hæc spectacula mereri
remissionem peccatorum, sed postea
hanc opinionem iodocti addiderunt,
& ritus satisfactionum cumularunt.

Ab hac ueteri consuetudine con-
fessio intelligitur enumeratio delicto-
rum singulorum, cū olim tantum
delicta alijs nota recitarentur: postea
uerò decreta facta sunt de omnibus
delictis etiam arcanis.

De hac enumeratione singulorum,
nece sse est erudiri conscientiam, nec
iam

iam de illa uetusta disciplina primæ
Ecclesiæ, & de atrocibus delictis, quæ
alijs nota sunt dicimus. Semper enim
inde usq; ab initio mundi, ritus fuerūt
certi excommunicationis in Ecclesia,
& receptionis emendatorū. Et opta-
remus ea grauitate quæ decet Eccle-
siam, administrari excommunicatio-
nem & receptionem. Et ut sæpe aliàs
dictum est, retineantur in Ecclesia ge-
neralis confessio & petitio absolutio-
nis, quia ministerium priuatæ absolu-
tionis nequaquam frustra institutum
est, ut infra copiosius dicā, & semper
fuit in Ecclesia generalis confessio, ut
de summo sacerdote in Lege dicitur:
Teneat uictimam, & confiteatur pec-
cata populi. Et in Nehemia dicitur: Fi-
lij Israël cōueniebant in ieiunio, & cō-
fitebantur peccata sua. Et de auditori-
bus Baptistæ dicitur: Baptizabantur
in Iordane, confitentes peccata sua.

Hæc non erat singulorum enume-

ratio, sed in genere confitebantur se reos esse, ut decet esse uocem plorū tribuentem Deo iusticiam in nobis accusandis, & gloriam iusticiæ propter missum filium, ut Daniel clamat: Tibi Domine iusticia, nobis autē confusio faciei. Item: Tua est propiciatio. Et hæc ipsa generalis confessio & petitio absolutionis, testatur in Ecclesia recipi lapsos.

Sed alia disputatio est de enumeratione singulorū, multorū aut omnium delictorum, ac præsertim arcanorū: hinc taxandi sunt tres errores. Primus, quod finxerunt hanc enumerationem mereri remissionem propter pudorem.

Secundus error, quod aiunt recitationem necessariam esse, ut indicetur satisfactio.

Tertius error, quod necessaria sit enumeratio, & quod remissio pendeat ex conditione enumerationis, quia dicunt diuinitus præceptam esse.

Hę tres opiniones falsę sunt, & ob-
 scurant gloriã filij Dei, & sunt laquei
 cōscientiarum, ut cōstat multos ambi-
 gentes an satis purę confessi essent, in
 magnis mœroribus fuisse. Talis dubi-
 tatio fidem & inuocationē impedit,
 et aut desperationem, aut Epicureum
 cōtemptum adfert. Necessē est igitur
 & ueritatem conspici in Ecclesia, &
 uulnera conscientiarum sanari.

Manifestum est autē in arcana con-
 fessione, enumerationem omniū, uel
 paucorum delictorum non esse præ-
 ceptā iure diuinō, quia nusquam uo-
 ce Christi, aut Prophetarum, aut Apo-
 stolorum præcipitur. Et enumeratio
 singulorum est impossibilis, quia ual-
 de multa sunt errata & delicta singu-
 lorum, quę nec intelligunt, nec memi-
 nerunt, iuxta illud: Delicta quis intelli-
 git. Ideo certum est conscientias ne-
 quaquam onerādas esse singulorum
 enumeratione, & nequaquam pen-

dere remissionem ex enumeratione.

Hanc doctrinam necessariam esse p̄is manifestū est, q̄ tristitissima car-
nificina excruciant, si putarent singula nominatim recitanda esse, nec remitti p̄ctā sine illa anxia recitatione.

Nunc autem de hac quæstione nō disputabo prolixius, cū manifesta sit ueritas, & ante hanc ætatem saniores scriptores ita iudicauerint, enumerationem singulorū non præcipi iure diuino, sicut aperte inquit Panormitanus: & Chrysostomus in enarratione Psalmi 50. dicit: Si pudet alicui dicere peccata, dicito ea quotidie in anima tua, non dico ut confitearis cōseruo tuo, ut tibi exprobret, dicito Deo qui sanat ea. Nec est in Græca Ecclesia hic mos enumerationis arcanorū.

Omitto autē hoc loco refutationem argumentorum, quibus aduersarij ostendere conantur, necessariam esse enumerationem singulorum, & iure diuino

diuino præceptam. Nam alibi de eis factis dictum est. Ac sciūt ipsi aduersarij se has præstigias offundere oculis & animis populi, non quæ sic sentiant, sed ne hūc neruū suæ potentiae amittant.

Ceterum sentio generalem confessionem retinendam esse, cum petitur absolutio. Sicut enim in Nehemia scriptum est: Confitebantur peccata sua: ita decet aliquam uocem esse uerè dolentium, qua fateantur se reos, & se Deo subiiciant, & ei laudem iustitiæ tribuant, quæ iuste damnet peccata, & iuste nos puniat, ac rursus tribuant ei laudem misericordiae, agant gratias quæ propter filiū receperit genus humanum prolato admirando decreto ex arcano sinu. Deinde petatur absolutio, quæ est uox ministerij Euangelici priuatim applicans remissionem peccati, cum filius Dei dixerit: Quorū remiseritis peccata, remittentur eis: & posuerit in nobis sermonem recon-

PHILIP. MELANTH.

consolationis: ego mandato filij Dei a-
 nuncio tibi uocem Euangelij remitten-
 tem peccata, & tibi ipsi peccata remit-
 ti a Deo pronuncio propter filium Do-
 minum nostrum Iesum Christum, cru-
 cifixum pro nobis, & resuscitatum.
 Ac precipio tibi, ne asperneris mor-
 tem filij Dei, quæ pro te, & reliquis
 credentibus fuit sacrificium placans
 iram æterni Patris, sed uerè credas pro-
 missione Euangelij, & statuas te reci-
 pi a Deo, cum credis tibi ipsi propter
 hunc mediatorem remitti.

Hanc absolutionem sciamus non
 esse uocem humanæ autoritatis, sed
 diuinæ, sonantis in ministerio Euange-
 lij, sicut Dauid ualde cumulasset sua
 peccata, si non credidisset uoci Na-
 than: **DOMINVS ABSTVLIT**
PECCATVM TVVM: Ita pecca-
 cāt omnes, qui in pauoribus, & in poe-
 nitentia nolūt absolutioni credere, &
 eam consolationem admittere nolūt,
 nec

nec redeunt ad inuocationem, nec se fide & spe erigunt.

Hic etiam necesse est taxari hunc errorem Monachorum, quod dixerunt absolutionem irritam esse, si non sit sufficiens contritio. Sed sciant prius oportere fieri conuersionem, sicut iusiurandum inquit: *Viuo ego nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.* Oportet igitur aliquam esse contritionem, & non retineri propositum peccandi: & accendatur fides, & sit deinde bona conscientia, id est, propositum, non faciendi contra conscientiam. Hæc cum adsunt, certissimum est absolutionem ratam & firmam esse, quam quidem fide oportet accipi, quæ non potest simul esse cum proposito delinquendi: & fides intuetur filium Dei, propter hunc statuit iuxta promissionem gratis remissa esse peccata, non propter contritionem, aut gradus contritionis, aut confessionem, &c.

Vt aut aliàs sepe dixi, nequaquã abo-
lenda est priuata absolutio, quia mani-
festissimum est promissionem Euãge-
lij & multis & singulis applicari pos-
se; & de singulis manifestè loquitur con-
tuo in cap. 18. Matthei: Quoties remit-
tam: septuagies septies: qui locus uerè
& rectè de ministerio absolutionis
intelligitur. Et dictum: QVORVM
REMISERITIS PECCATA,
REMITTENTVR EIS, de multis
& singulis rectè intelligi certum est.

Deinde & exemplum consideret:
hic mos priuatim absoluendi, multũ
conducit ad retinendum intellectum
Euangelij proprium, q̃ Euangelium
contineat promissionem remissionis
peccatorum. Est & illustre testimoni-
um, q̃ post Baptismum lapsi conuer-
ti possint, & conuersi recipiendi sint,
& absoluendi, ac rursus fiãt hæredes
uite æternæ. Hæc causa ualde mouere
pias mentes debet, ut ament et tuean-
tur

tur priuatam absolutionem, et suo exemplo eius cōseruationem adiuuent.

DE SATISFACTIONE.



N hac distinctione partium Poenitentiae, nomen satisfactionis, ut in hoc loco usurpatum est, nō significat compensationem Deo pro culpa satisfaciētem, & placantem iram Dei, quae satisfactio propriē per filiū facta est. Nec significat satisfactionē forensem, qua debitor soluit pecuniā, quam debet, aut is qui alium iniuria affecit, sibi ignosci orat. Nā haec forensis satisfactio, est opus debitū, & pertinet ad contritionem, ac bonum propositum. Vt raptor alienae coniugis, si non reddit marito cōiugem, manet adulter, et est sine contritione, & sine bono proposito. Ita debitor non uolens soluere cūm possit, manet fur, et regula uera est dextrē intellecta: Pcc

catum non remittitur, nisi ablatum restitatur.

Sed hęc tertiã partem Pœnitentię nomināt satisfactionem Canonicam, quę olim erat publicum spectaculũ, in quo stabāt certo loco agentes pœnitentiã, & seruabāt ieiunia aliquot dierũ aut mensiũ ante absolutionem, & palãm ostendebãtur populo tanq̃ rei & lugentes, ut extaret signum nõ simulatę pœnitentię, & ut aliĩ his exemplis cõmonefacti, diligentius regerent mores ne laberentur. Horum rituum initio modus aliquis fuit, & abfuit superstitio: nemo cogitabat se mereri hoc spectaculo remissionẽ culpę, uel pœnę, sed exemplũ erat utile disciplinę, p̃tinens ad politiã Ecclesiasticã.

Non dubium est autem hos ritus, quibus rei atrocium delictorum uelut notati ostendebantur populo, ortos esse à primis Patribus. Semper enim fuit ceremonia aliqua excommunicationis

nicationis inde usq; à Cain, & manserunt uestigia apud Ethnicos, sicut de Cain dicitur, signum ei additum esset

Ita postea rei homicidiorum, gesserunt signa reatus in uestitu, donec reciperentur, ut scirent alij hos esse pollutos, & fugiendos. Nam excommunicati, erant exclusi à societate sacrorum, mensæ & multorum officiorum. Nequomo unâ cibum capiebat, donec ille homicida, uel incestus gerebat signa reatus, et erant certa uerba excommunicationis, quæ uocabantur *Diræ*, Græcè *ἀγαί*. Sic Orestes uagatus est in Græcia, abstinens ab aliorum conuictu, ac gerens signa reatus, quæ postea ei adempta sunt, cum in iudicio absolueretur. Et multa talia exempla recitantur, ut Adrausti apud Herodotum, qui ad Croesum uenit gerens signa reatus.

Cum autem huius uetusti moris uestigia essent adhuc in populo Iudæico, & gentibus non omnino barbaria

PHILIP. MELANTH.

cis, recepta est hæc disciplina etiam ab Ecclesia, fuitque initio modus earum ceremoniarum, sed postea superstitio adflixit remissionem peccatorum dari propter hanc castigationem. Hæc opinio auxit has multas, adeo ut tandem intolerabiles essent. Rursus igitur laxatae sunt, & hoc uocabant Episcopi indulgentias, id est, remissiones talium spectaculorum, de quibus Canones præceperant. Ita paulatim illa uetera spectacula cessarunt, nomen mansit satisfactionis non intellectum à populo.

Sed fatentur Monachi satisfactiones non mereri remissionem culpæ. Ut autem aliquid tribuerent multis, finxerunt non remitti poenam æternam, nisi propter compensationem poenarum purgatorij, uel aliarum temporalium. Dixerunt igitur satisfactiones mereri remissionem poenarum purgatorij, uel aliarum poenarum huius uitæ. Hic prudentia in iudicando adhibenda est,

Primum

Primum autem necesse est nosse definitionem satisfactionis Canonica, quam ipsi tradunt.

Satisfactio Canonica, est facere opera non debita, id est, non mandata lege Dei, sed opera supererogationis iniuncta ab Episcopis, uel ministris, ut mereantur remissionem poenae purgatorij, uel aliarum poenarum huius uitae.

Nunc consideret lector, de quibus materijs in hoc loco dicendum sit, scilicet de impletione legis, de discrimine operum quae Deus precepit, & aliorum quae Deus non precepit, de remissione poenae eterne, de discrimine remissionis culpe, & remissionis poenae temporalium, de causis poenae temporalium, & afflictionum in Ecclesia, &c. Has materias recte et uere explicari necesse est. Ideo hunc locum de satisfactione re-

Secundo semper iungo (peto. portet remissionem culpae, & poenae eterne, estque unum & idem beneficium

PHILIP, MELANTH:

filij Dei gratuitum, tollere culpam & tollere mortem æternam: ac tollere culpam, est placare iram Dei.

Cùm igitur pœna æterna sit sentire horrendam & inenarrabilem iram Dei manentem, sicut Ioannes inquit: ira Dei manet super eum, sciamus culpam & pœnam æternam, simul tolli propter solum mediatorem filiũ Dei, non propter ullam nostram compensationem. Ideo Osee 13. dicitur: Ero mors tua ô mors, & pestis tua inferne. Et Paulus: Aculeus mortis peccatum est, potentia peccati Lex. Deo autem gratia, qui dat nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Ideo certissimè statuendum est fide propter filium Dei simul remitti culpam, & tolli pœnam æternam gratis, id est, sine nostra compensatione.

Hæc cõsolatio luceat in mentibus, nec languescere fidẽ sinamus cura nostrarum satisfactionum, ac certo statuat

tuamus nō adferendas esse in illud ar-
canum iudiciū Dei, (ubi angimur de
ira Dei, uel morte æterna) nostras sa-
tisfactiones, sed solum sacrificiū filij
Dei intuendum esse, huius sanguine
credamus deleri culpam, & tolli pœ-
nas æternas: hic satisfecit iusticię Dei,
ut Ioannes inquit: Hic est propiciatio
pro peccatis nostris, nec pro nostris
tantū, sed pro totius mundi peccatis.

Et Triumphus descriptio ad Coloſſ.
sit in conspectu, ubi Paulus disertè in-
quit, uictorem filium Dei, à seipso do-
mitas, & captas potestates inferorū,
ducere in Triumpho. Huius triūphi
gloriam non transferamus in nostra
opera. Firmissimè igit̄ hæc consolatio
tenenda est: Fide iustificati pacem ha-
bemus apud Deum, id est, certum est
iram Dei placatam esse, & nos libera-
tos esse à pœnis æternis. Quare non
sunt cōscientię turbandæ imaginatio-
ne Monachorū de Satisfactionibus.

PHILIP. MELANTH.

Tertiò, manifesti errores sunt in doctrina Monachorum de satisfactionibus cum alibi, tum hîc quoq; fingunt opera non mandata à Deo, esse cultus Dei, & mereri remissionem culpæ & pœnarû. Vt certis diebus abstinere à carnibus, &c. Talia opera immeditatè hoc fine facta, ut per ea Deus honore afficiat, uocât cultus. Contra quâ persuasionem tenenda est regula uerissîma: Frustra colût me mandatis hominû. Hoc unû argumentum etiâ satis firmû est ad refutandas satisfactiones, de quibus Monachi loquuntur, q̄ quidem eo maiore cura taxadæ sunt, q̄ persuasio de satisfactionibus, ualde auxit traditiones humanas, & confirmauit opinionem, quæ fingit opera nō mādata à Deo, cultus Dei esse. Est autem cultus Dei, opus à Deo mandatum, & factum in agnitione, & fide filij Dei, cuius operis principalis finis est, seu mediatus, seu immediatus,

tus, ut Deus honore afficiatur. Omitto iam quæ de impletione legis in hac materia Monachi dixerunt.

Quartò, etsi uerissimum est, remissionem poenæ æternæ nunç diuellendam esse à remissione culpæ, tamē necesse est discerni remissionem culpæ, à remissione poenarum temporalium huius uitæ. Nā Ecclesia propter multas causas cruci subiecta est, quas semper in conspectu esse oportet, quarū aliæ sunt impulsiuæ, aliæ finales, aliæ

πρὸ κατὰ ἐκ τικαί, id est, irritatrices.

Prima est, cū propter lapsum primorum parētum tota posteritas reasit & immūda, subiecta est morti corporis, & alijs ærumnis Ecclesia Dei, sicut reliquum genus humanum.

Secunda, cū mūdus interiorem immundiciem humani cordis, dubitationes de Deo, neglectionem Dei, & multas uiciosas flammās cupiditatū, nō ducat esse res à Deo damnatas, &

PHILIP. MELANTH.

contemnat iram Dei: Ecclesia magis premitur, quia uult Deus in Ecclesia conspici iram suā, & uult in nobis omnibus poenitentiam crescere. 1. Pet. 4. Iudicium à domo Dei incipit. Item Salomon: Filium quem diligit, corripit.

Tertia causa, quia Diabolus maiore odio filij Dei, et Ecclesie ardet, ideo rabiosius grassatur in Ecclesia: conatur multos euertere: excitat hæreses, & facit uarias dissipationes: de hac causa dictum est in Genesi: Serpens mordebit calcaneum eius.

Quarta, sæpissimè singulares aliquæ calamitates, poenæ sunt certorum delictorum, quas Deus ideo irrogat hominibus, quia & iusticiæ Dei est punire peccata, & uult Deus in hac uita in aliquibus exemplis conspici iram suam, & iustum iudicium aduersus peccata, & uult reuocari lapsos ad poenitentiam. Sic Dauid propter adulteriũ & proditum Uriam electus est ex re
gno.

gno. Manasse abducitur in exilium: et de uniuersi populi exilio, et urbis Hierosolymæ excidio, inquit Ieremias capite 22. Et dicēt unusquisq; proximo suo, quare sic fecit Dominus? & respondebunt, eo quod reliquerūt pactum Domini Dei sui, & adorauerunt deos alienos. Et Mich. 7. Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Psalm. 88. Visitabo in uirga iniquitates eorum.

Quinta causa, ut afflictiones sint testimonia doctrinæ, ut Ieremias, Baptista, non propter peculiaria delicta interficiunt, sed propter alias causas, ut erumne testent eos serio sic sentire ut docent, quia ueritatem anteferunt uitæ, & omnibus cōmodis corporū.

Sexta causa, ut afflictiones sint testimoniū immortalitatis. Cū enim Deus illustribus miraculis ostenderit sibi placere Abel, Paulum, & similes, & tamen sinit eos interfici, necesse est restare aliud iudicium.

Septima, ut fiamus similes imaginis filij Dei.

Octava, etiam ubi non sunt externa delicta atrocía, tamen Deus uult in multis interiora mala, superbiam, admirationem sui, carnalem securitatem emendare, ut dicitur: Bonum mihi quòd humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas.

Nona causa, ut appareat sanctos uniuersam obedientiam præstare principaliter propter gloriam Dei, nõ tantum propter suas utilitates, ut in Psalmo dicitur: Hæc omnia uenerunt super nos, nec oblitus sumus te.

Decima, ut adpareat Ecclesiam non humanis consilijs & præsidijs, sed ab ipso filio Dei capite & duce Ecclesie diuina potentia colligi, defendi & seruari, & in nostra infirmitate cõspiciat præsentia filij Dei propugnantis nos contra Diabolum. 2. Corinth. 4. Circumferimus Thesaurum hunc in uasis

sis testaceis, ut excellentia potentiae sit Dei, & non ex nobis.

Cum igitur multae diuersae causae sint, cur Ecclesia subiecta sit cruci, non imaginandum est oēs calamitates certorum delictorum poenas esse: & satis commode distribuunt afflictiones in quatuor genera. Alię sunt τιμωρίαι, id est, poenae certorum factorum, ut exiliū Davidis, uel supplicium politicū homicidarum, quę etiam si sunt poenae, non tamen merent remissionē culpae, aut poenae aeternae, sed sunt signa irae Dei aduersus peccatum, uel testimonia iusticiae Dei irascentis peccato.

Alię sunt δεικνύουσαι, id est, exercitia utilia ad frenandos pios, & ad confirmandam fidem, ut ærumnæ Ioseph.

Alię sunt μαρτύρια, id est, testimonia doctrine, & immortalitatis, ut Abel, Hieremie, Pauli, & similiū neces.

Alię sunt λύτρα, id est, precium pro aliorum peccatis, Tale autem est sola

PHILIP. MELANTH.

mors unius filij Dei, Sic Matth. 20. nominat suam passionem ipse filius Dei, qua uoce admonemur de re maxima uidelicet, non sine admiranda disputatione, de collatione iusticiae & misericordiae Dei, remissa esse generi humano peccata, quomodo uidelicet Deus simul & iustus, & misericors esset. Eijciamus enim ex mentibus nostris stultas opiniones humanas, quae somniant Deum ut lentum Patrem familias, seu ut Stoicum non irasci peccato, imo iusticia Dei uere & horribiliter irascitur omnibus omnium peccatis, ut dicitur: Deus est ignis consumens.

Fuit igitur disputatio de collatione iusticiae & misericordiae, quam nulla creatura explicare potuisset, sed miranda deliberatione diuina res ita diiudicata est, ut ira in filium deriuaretur, & ceteris hominibus propter filium parceretur. Nam necesse fuit Deo uel per obedientiam, uel per poenam aequivalentem satisfieri.

Huius

Huius mirandę deliberationis causas discemus in uita æterna, nũc beneficium ipsum uult nos agnoscere Deus, & uult nos utrũq; cogitare, ingentem esse misericordiã, quod genus humanum receptũ est, & simul ueram & ingentem iram aduersus peccatũ, quod pœnã & compensationem tantam interuenire oportuit.

Huc pertinet uetus argumentum dignum consideratione.

Misericordiæ est parcere, sed iusticia est immutabiliter seruare legem, requirere obedientiam, uel pœnam æqualem.

Deus nõ solum est misericors, sed etiam iustus. Non igitur remittit sine compensatione, seu satisfactione.

Respondeo: Concedo totum argumentum, Non facta est remissio sine satisfactione, scilicet persoluta per filium Dei: sola obedientia filij Dei est satisfactio, & equale precium pro no

PHILIP. MELANTH.

stris peccatis, & sacrificium placans iram Dei, sicut & Esaias inquit: Ponet animam suam hostiam pro peccato. Hanc uictimam uult Deus aspici, & iram & misericordiam considerari. Nec tribuendus est hic tãtus honos, uidelicet esse λόγος seu satisfactionē pro peccatis, ulli hominum iusticiæ.

Necesse est igitur taxari errores de Canonicis satisfactionibus, sparsos in Ecclesiam horribili cæcitate. Manifeste falsum est remitti pœnã æternam propter Canonicas satisfactiones: manifeste falsum & hoc est, potestate clauium tolli pœnas temporales non impositas arbitrio ministrorum, sed cõmunes illas uagantes per totum genus humanum propter iram Dei, uel propter cõfessionem, ut morbos, bella, inopiam, & similes, quæ sunt aliàs δικιμασίαι, aliàs τιμωρίαι, aliàs μαστόρεια. Hæc genera, nihil ad potestatem clauium pertinent, id est, potestas clauium nec

um nec imponit, nec remittit.

Etsi aut̄ uitandę obscuritatis causa nolo recitare oēs labyrinthos huius materię, tamen quedã argumenta refutabo, q̄ nũc excogitãt aliqui astutę, ut errores pretextu suo stabiliant.

Primum est hoc: ~~Quod~~ Eccl̄ia pię facit iubens quærere mitigationem pœnarum, & modum ostendens.

Certissimum est aut̄ propter bona opera mitigari pœnas temporales.

Igitur Ecclesia rectę facit, iubens facere certa opera.

Respondeo ad Maiorem. Ecclesia rectę facit iubens quærere mitigationem pœnarum, & modum ostendēs scilicet traditum in Euangelio, non excogitans novos cultus. Verissimũ est aut̄ mitigari pœnas tota conuersione & bonis operibus à Deo mandatis. Clamet Ecclesia sicut filius Dei, & sicut uox spiritus sancti semper clamat: Agite pœnitentiã. Item: Nisi

PHILIP. MELANTH.

pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.

Item: Si peccata uestra fuerint ut coccinum, eritis candidi sicut nix. Si eritis in tristissimis pœnis, et uelut homicidæ in supplicio conspersi cruore, tamen Deus mitigabit pœnas, deterget cruorem. Item: **Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos.**

Hæc inchoatio nouæ obedientiæ, meretur mitigationem pœnarum temporalium, & de his operibus à Deo mandatis intelligatur **MINOR**, non affingantur alia opera seu cultus non mandati à Deo. Quare si in conclusione addatur, Ecclesiam rectè facere in dicentem alia quædam opera non mandata à Deo, insidiæ sunt in conclusione, et neganda est consequentia, quia plus est in conclusione, quam in præmissis. Ecclesia rectè facit præcipiens totam conuersionem, & bona opera mandata à Deo, sicut mandata sunt: non

non rectè facit fingens homines lege iustos esse, & alia noua opera facienda esse tanquàm supererogationis, quæ sint præciù ad compensandas pœnas.

Ceterum de criminibus populo notis, antea dictũ est, Ecclesiam cum recipit lapsos, posse exempli causa, publice commemorare delictũ & pœnitentiam, & adiungere aliquam piam obiurgationem & adhortationẽ, &c.

Obijcitur & Pauli dictum: Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur. Ergo si Ecclesia puniret, Deus parceret nobis, et mitigaret calamitates publicas & priuatas.

Speciosum argumentum est, sed prudenter discernenda est uera castigatio ab hypocrisi. Totum argumentum uerum est dextrè intellectum, Si nos iudicaremus, id est, castigaremus seu emendaremus uera conuersione, id est, si uero dolore cruciaremur, quod Deum offendimus, quòd nostris scan

PHILIP. MELANTH.

alis turbauimus spiritum sanctum,
& nobis & Ecclesie cumulauius mi-
serias. In tali conuersione, fides, spes,
inuocatio et noua obedientia uere im-
petrarent mitigationem poenarum,
ut supra dictum est. Et Iohel inquit:
Conuertimini ad Dñm Deum uester,
quia bonus est, & remittit poenas.

Cum igitur Paulus inquit: Si nos
iudicaremus, &c. ueram poenitentiam
seu ipsam conuersionem ad Deum in-
telligit, nec de alijs operibus nõ debi-
tis loquitur, de quibus scriptum est:
Frustra colunt me mandatis hominũ.
Et sine uera conuersione nulla opera
Deo placent, quia Deus requirit obe-
dientiam cordis, id est, uerũ timorem,
ueram fidem, spem acquiescentem in
promissione Dei, uerã inuocationẽ,
iuxta illa dicta: Veri adoratores ado-
rabunt Patrem in spiritu & ueritate.

Item: Sacrificium Deo spiritus cõ-
tribulatus, cor contritum & humilia-
tum

tum Deus nō despicias. Nec plus ualent coram Deo ieiunia nō conuersorum, aut alię pœnę, q̄ ualuerunt lacerationes corporę, quas faciebāt sacerdotes Baal, & quales hodie dicuntur facere Turcici sacerdotes, qui ritus omnes ad hanc regulā pertinent: Frustra colunt me mandatis hominum.

Hęc de satisfactionibus hoc loco dixisse satis sit, Nam & alibi eadem doctrina saepe exposita est, sed necesse est totam doctrinam de pœnitentiā, saepe in Ecclesia repeti, ut omnibus notissima sit, & semper sit in conspectu, quia in omni inuocatione quotidie cogitāda est. Semper enim obstrepat inuocanti hęc tristis concio; Peccatores Deus non exaudit.

Huius obiectionis refutatio sumenda est ex doctrina de pœnitentiā, uide licet nō audiri peccatores, nō agentes pœnitentiā, sed agenti pœnitentiā mandatum est, ut credat se pro

PHILIP. MELANTH.

pter filium Dei gratis recipi & acci-
 pi, ac placere eius inuocationem. Hęc
 fidei lucem non sinamus extinguī fal-
 sis opinionibus de satisfactione Cano-
 nica, sicut sæpe in Ecclesia ualde ob-
 scurata est etiã uetustis temporibus:
 et cùm extinguitur hęc lux fidei, reci-
 piuntur opiniones Ethnicę & Turci-
 cę, quę fingunt remitti culpam pro-
 pter satisfactiões humanas, sicut nũc
 quoq; docent Turcę, remitti periuri-
 um diuiti, si decem pauperibus prebe-
 at uestem: et homines nõ præmoniti,
 facile capiuntur illa operum specie. I-
 deo tales opiniones maiore cura refu-
 tandę sunt, & simul corda excitanda
 ad uerã conuersionem, quę sine ulla
 dubitatione impetrat auxiliũ Dei &
 mitigationem præsentium calamitas-
 tum, ut dictũ est. Et pro hac luce do-
 ctinẽ Deo gratias agamus, et gratitu-
 dinem declaremus in confessione &
 studio conseruandę huius puritatis.

Finis.

DE

DE DICTO PAULI

Apostoli J. Timoth. 4.

ATTENDE LECTIONI,
consolationi & doctri-
næ, &c.

Salutari cōsilio prima Ecclesia sta-
tim Apostolorū temporibus hunc
morem instituit, ut quotannis bis in
qualibet provincia pastores uicinarū
Ecclesiarum à suo gubernatore con-
uocarentur, ut fieret inspectio doctri-
næ & morum, et deliberationes de a-
lijs rebus necessarijs haberent. Est q̄
rectissimum ordiri hos conuentus à
precaione, & aliqua pia commonefa-
ctione: ideo initio mecum ueris & ar-
dentibus animorum uotis precamini:
Te omnipotens Deus, æterne & uni-
ce Pater Dñi nostri Iesu Christi, condi-
tor omnium rerum et conseruator et
opitulator, conditor Ecclesiæ tuæ, u-
nà cum filio tuo coæterno Domino

DE DICTO PAULI

nostro Iesu Christo & spiritu sancto,
 sapiens, bone, misericors, uerax, iuste,
 liberrime, fortis & iudex, oramus, ut
 propter Iesum Christum filium tuum
 Dominum nostrum crucifixum pro
 nobis & resuscitatum, λόγον ἑικόνα
 αἰδίου σφ, quem uoluisti pro nobis esse
 uictimā ἑμεσίτην καὶ ἰκέτην, ut accen-
 das corda nostra spiritu sancto tuo,
 & colligas tibi Ecclesiam eternam, in
 his nostris regionibus, eāq̄ regas &
 serues, nec sinas extingui lucem Eu-
 uangelij tui, & tuearis doctrine coele-
 stis studia & disciplinam, & defendas
 ac gubernes hospitia Ecclesiarum, ut
 semper in his regionibus sint p̄i coe-
 tus te uerè inuocantes & celebran-
 tes. Cumq̄ dixeris, PROPTER ME
 PROPTER ME faciam, ut non blas-
 phemer, supplici pectore oramus, ut
 propter gloriam tuam æterne Deus
 hæc bona nobis præstes, Amen.

Hanc precationem etsi initio con-
 uentus

uentus facere nūc maximē cōuenit,
tamen assiduē nobiscum repetamūs,
non solum in templis & publicis con-
gressibus, sed etiam cū soli sumus
cogitantes de nostra salute, & de Ec-
clesia omnibus locis & temporibus.

Cū autē & cōmonefactio hoc lo-
co de officio pastore faciēda sit, & a-
liās de alia parte officij dicendū sit, ut
in alia synodo de tuenda ueræ doctri-
næ cōcordia orationem habuī; ita nūc
cessantes ad studium doctri-næ, ad le-
genda scripta Prophetica & Aposto-
lica, & pias enarrationes adhortari
uos decreui. Quod ut intelligatis præ-
cipi non mea uoce, sed uoce spūs san-
cti, dictū, quod extat in Epistola Pau-
li ad Timotheū, uobis propono; AT-
TENDE LECTIONI, ADHORA-
TIONI ET DOCTRINAE.
Hoc præceptū inter ea numeremus,
quæ ad oēs pertinēt, & quibus obtem-
perare oēs necesse est. Vetus est em̄,

DE DICTO PAULI

Inde usq̄ à principio in Ecclesia saepe
repetitū. Nam ita Deute 6. inquit De-
us: Eruntq̄ uerba hæc quæ ego præ-
cipio tibi hodie, in corde tuo, & narra-
bis ea filijs tuis, et meditaberis sedens
in domo tua, & ambulans in itinere,
dormiens & surgens, & ligabis ea
quasi signum in manu tua, ut sint in
conspectu, & inscribes ea limini & o-
stijs domus tuæ.

Hæc uerba nota esse omnibus arbi-
tror. Quorū sententia crebro deinde
repetita est. Vt Psal. 1. In lege eius me-
ditabitur die ac nocte. Ac ut multa o-
mittam, uox æterni Patris de filio cla-
mitat ad uniuersum genus humanū:
Hic est filius meus dilectus, hunc aus-
dite. Quare præceptū de cognoscen-
da doctrina, quæ Ecclesiæ à Deo tradi-
ta est, semper præcipuum fuit.

Eadem et sententia est Paulinæ uo-
cis, quæ cū de re maxima concione-
tur, attente eam consideremus, & q̄d
iubet

iubet ipse Paulus, attendendū esse lectioni, id faciamus in hoc ipso dicto, hoc est, cum quadā intentione animi consideremus, quid dicat. Initium autē enarrationis sumatur à reprehensione falsissimę persuasionis, quæ multorum animos semper à scriptis Prophetis & Apostolicis abduxit & abducit. Multi doctrinam de moribus, quę nascitur nobiscum, seu Philosophiã, sufficere existimant ad agnitionē Dei, nec præterea aliud genus doctrinę expetunt, ac horribili superbia contemnunt patefactiones diuinas, scripta Prophetica & Apostolica, & ministeriū Euangelicum. Multi etiã, qui uitæ præcepta in prophanis legibus & scriptis cōcinnē & arte quadam distributa esse vident, longe anteferunt eos libros doctrinę cœlesti, quã nō iudicant simili diligentia & arte scriptam esse.

Quid igitur, inquit, opus est patefactione Dei? Quid libris Propheti

DE DICTO PAULI

cis & Apostolicis: Vident eadem si-
 ne literis homines ingeniosi, aut certe
 iucundius tradita legūt à disertis scri-
 ptoribus Latinis & Græcis: O deplo-
 randā cæcitatem generis humani: O
 flagitiosam ingratiudinem. Num le-
 uem rem et ociosum spectaculum du-
 cūt esse isti, q̄ Deus ex illa sua arcana
 sede p̄diens statim initio, & deinceps
 sæpe, certis & illustribus testimonijs
 se generi humano patefecit, nos allo-
 cutus est, mirandū decretū, ignotum
 uniuersæ creaturæ, omnibus angelis
 & hominibus, promulgauit. Hoc tan-
 tū bñficiū uel aspernari, uel negligere,
 omniū scelex̄ atrocissimū est. Nec
 em̄ patefactiones illæ Dei loquentis
 cum Adam, cum Noah, cum Abrahamā,
 cum Mose, cum Samuele, cum Dauī
 de, cum Daniele, & deinde Christi na-
 ti ex uirgine, & palām uersantis inter
 Judæos, cōciones tantum ad illos per-
 tinebant, qui miranda testimonia tūc
 in

in re præsentî cernebant. Ad nos oēs
pertinent: oēs pro his ingentibus be-
neficijs prostratos iacere coram Deo
oportebat, ac gratias ei agere, ac cele-
brare immensam bonitatem, q̄ se huic
miseræ naturæ hoim patefecerit, eāq̄
uero amore complecti se ostenderit.
Ideo em̄ mandauit literis comprehen-
di has patefactiones, ideo instituit mi-
nisterium Euangelicum, ut sciamus
semper eum & uersari in Ecclesia, &
alloqui nos, & ad nos oēs pertinere
oim temporum patefactiones. Non
frustra se ostendit generi humano De-
us, non obscurum, non leue signum
amoris est erga nos, quod prodijt De-
us, q̄ nos allocutus est, q̄ uoce sua
nos in uitā ex media morte reuocat.

Nec eadē sunt doctrine genera, ut
prophani homines falsò existimant,
Philosophia, & illæ promissiones de
rebus æternis, quas tradidit Ecclesiæ,
cū se generi humano ostēdit. Cū

DE DICTO PAULI

Adam reus esset ante auditā consolationē, quid ratiocinari aliud poterant uel angeli uel ipse, nisi hoc ipsum, quod docet ratio? Deus iustus & uerax minitatus exitū huic generi, iam perdet Adam & Heuam, nec decretum hoc mutabit. Hic cogitate quāso, quanto in dolore fuerint primi parentes, acie mentis tūc uolūtatem Dei magis cernentes, quā nos hebetes & infirmi cernere possumus. Sed in hoc dolore & in uestibulo mortis cū essent, rursum immensa bonitate ostendit se Deus, alloquitur eos, arguit peccatū, et edit promissionem de reddenda uita: imo & uestit hanc iam deformatam naturam, quasi ipsa ueste significans nouā naturam, qua nos post mortem circūdaturus esset. Et hanc promissionem scribi uoluit, de hac promissione palam filius nobis concionatus est, & perpetuū in Ecclesia ministerium huius uocis institutū est, quod sonat non tantum

tantum legem, sed hanc promissionem reconciliationis & uitæ æternæ, quam nulla creatura uidisset, nisi Deus ipse eam promulgasset.

Dissimilis est igitur ecclesia altaræ gentium, quia doctrinā habet de Dei essentia & uolūtate, traditā uoce Dei certis & illustribus testimonijs, quæ discenda, audienda & amplectenda est, & quam nulli creature mutare licet. Quod enim multi hoies audacter finxerunt aliam doctrinā, noua nomina, ut Orpheus, Hesiodus, Arius, Mahometus, & alij innumerabiles, hi tetrici furores à diabolo orti sunt, qui ut odiū suū declararet, Deū tantis cōtumelijs adficere studet. Hęc exempla fugienda nobis esse sciamus, nec aliter de Deo sentiendū esse, quā sicut se patefecit: imo ut in aluo matris sedet foetus, suis quibusdā quasi fasciis inuolutus, ita mētes nostræ huic doctrinæ, quasi inuolutæ maneant, In hac uia audiāt

DE DICTO PAULI

nobiscū loquentem Deum, sicut uox
 æterni Patris inquit: Hunc audite.

Cū igitur Ecclesia proprium ge-
 nus doctrinæ teneat, procul supra &
 extra humanę mentis iudicia, Philoso-
 phiam & leges positum, necesse est
 nos Ecclesię libros legere, discere &
 amplecti, et procul ex animis illam su-
 perbissimā persuasionē eijcere, quæ,
 ut diximus, somniat, nihil opus esse
 his libris, quia alioqui cernat ingenij
 acie doctrina uitæ. Imo nec Angeli,
 nec hoies promissionem recõciliatio-
 nis, sine pãtefactione nosse potuerūt.
 Ideo Paulus nos ad lectionem dedu-
 cit, Attendite, inquit, lectioni. Quasi
 dicat: Ad certum genus doctrinæ alli-
 gata est Ecclesia Dei, nec uobis finge-
 re alia numina, alios deos licet, ut fin-
 xerūt Orpheus, Hesiodus, Mahome-
 tus & alij. Tradidit uobis certissimis
 testimonijs hic rex cõditor, qui uerè
 Deus est, suam uocem mādātā lite-
 ris,

ris, hanc uult uos audire, hæc scripta
Prophetarum & Apostolorum legite. Ex
his sumite doctrinam de uoluntate et
essentia Dei. Hanc toto pectore ample
ctimini, nec ab ea auelli uos ullis alijs
opinionibus sinite. Quæcunque alia do
ctrinæ genera de Deo sparsa sunt in
ter hoies, quæ pugnât cum Propheti
cis & Apostolicis scriptis, tetrici & dia
bolici furores sunt horribiliter à Deo
damnati. Vt igitur unica & uera doctri
na de Deo extet in genere humano,
necesse est custodiri, retineri, legi, di
sci hos ipsos libros Propheticos & A
postolicos, qui ne deleantur, Deus mi
nistrium Euangelicum instituit & ser
uat, ut semper uox horum librorum inter
homines sonet. Imo ut sint aliquæ Dei
bibliothecæ, semper aliquas politias
seruauit, in quibus hic Thesaurus cu
stoditus est. Nec euersæ sunt politiæ il
le, priusquam negligere hunc Thesaurum
cœperunt. Hierosolyma & floruit, et

DE DICTO PAVLI

urbium toto orbe terrarum pulcher-
 rima fuit, donec bibliotheca Dei fuit.
 Postea cū libros diuinos negligeret,
 ita deleta est, ut non solum ædificia in
 incendio perierint, sed etiam tota gens
 dissipata sit, & in eo loco nūc latronū
 specus sint. Idem accidit omnibus ur-
 bibus Asię & Gręcię, in quibus cū
 florentes Ecclesię quondā fuerint, de-
 sertis studijs ipsę urbes euersę sunt.
 Quoties igitur in his regionibus iter
 facitis, & oppidorū mœnia, cœtus ho-
 minū, politias, templa uideris, cogita-
 te uobiscum: Hęc ornamenta Dei be-
 nignitate adhuc integra esse, ut sint bi-
 bliothecę diuine, & ut studia cœlestis
 doctrinę colātur, credite. Seruat hęc
 oppida Deus, non ut sint uoluptatū,
 luxus, auaritię & aliarum cupiditatū
 cubilia, Sed ut sint doctrinę, inuoca-
 tionis et celebrationis Dei, domicilia.
 Ac prorsus cum Pauli cōcione cō-
 gruit dictū Christi, quod extat apud
 Ioan.

Ioannem in cap. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniet, & mansionem apud eum faciet. In hac dulcissima concione, filius Dei non solum præcipit ut doctrinæ custodes simus: sed etiã addit promissionem amplissimam, diligi à Deo huius doctrinæ custodes, eosq; Dei domicilium esse. Neq; cogitari neq; expeti melius quicquã potest, neq; quicquã esse melius ulli creaturæ potest, q̃ fieri eam Dei domicilium. Hanc promissionem quæso sepe uobiscum cogitate, ut uos ad custodiendos, legendos, et propagandos libros Ecclesiæ accendatis. Nec uerò dubito, quin multorum animis plurimum profutura sit huius sententiæ crebra cogitatio, si rectè & dextrè eam intelligant.

Pertinet aut hoc q̃ ad meum officium, admonere uos de uera enarratione. Multi, quod dolendum & deplorandum.

DE DICTO PAULI

randum est, ante hæc tempora ita hoc dictum Christi interpretati sunt, non ut prodesset mētibus, sed ut in desperationem eas adduceret. Dixerūt em̄ legis uocem esse, flagitantem integrā obedientiam, quam cū nemo præstet, hac uoce oēs condemnari. Hæc interpretatio non quadrat ad hunc locū. Alia est sententia huius concionis: præceptum proponitur custodiendi libros, & discendi doctrinā cœlestem bona conscientia. Et huic officio addit promissio: Qui bona conscientia legunt, discunt, custodiunt, amplectuntur hanc unicam Ecclesiæ doctrinam, diligunt, qui & diligunt Deū, & à Deo diligunt. Doctrinæ tuendæ curā nobis cōmendat filius Dei, & promissione addita nos cōsolatur: nec uult hac cōsolatione terreri mentes, aut ad desperationem adigi: de eo officio loquitur, qđ Ecclesia præstare & potest & debet, & p̄j, qui eruditione & prudētia ante-

antececellerunt, omnibus temporibus fideliter prestituerunt. Hac interpretacione cogitata, ad nos ipsos hanc sententiam accommodemus, sumus & nos custodes, lectores, & propagatores doctrinae, non ignavi, non infideles.

Recitavi mandata, quae precipiunt lectionem, quibus moueri oēs debet. Moueat autem uos & cogitatio de duplici fructu, scilicet publico & priuato. Si negligatur lectio, & non discant doctores assidue, ministerium publicum extinguatur, cuius interitum sequuntur eterne poenae, & excidia uniuersarum gentium, ut Hosee 4. dicitur: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi, ita reiecta est tribus Leuitica. Sic reiecti sunt in alijs locis postea ignavi Episcopi. Punit igitur Deus & nostras regiones, si per ignauiam, si contemptu doctrinae et iudicij diuini, lectionem sacrorum librorum abijciemus. Quod ne fiat, singuli nos i

DE DICTO PAULI

psos cogitatione mandatorū Dei, pœ
 narum & premiorum ad diligentiam
 exuscitemus. Infinita de hac re oratio
 esse posset, sed quia hæc ipsa commo
 nefactio sæpe repetit̃ ab alijs, & ego
 propter imbecillitatē, prolixè dicendi
 laborē ferre nō possum, ero brevior.

Dixi aut̃ de publica utilitate lectio
 nis, q̃ scilicet lectione & studio serue
 tur publicum ministerium, quo De
 us est efficax, & sibi æternam Ecclesi
 am colligit. Iam et privatim suę quisq̃
 mētis fructu moueatur. Lectione ac
 cenditur & alitur lux diuina in corde
 uniuscuiusq̃: crescūt omnes uirtutes,
 agnitio Dei, timor, fides, dilectio, iusti
 cia, tolerantia, castitas, deniq̃ sapien
 tia in gubernatione. Ac si quis cogita
 tat satis esse semel atq̃ iterum legisse
 unam atq̃ alterā pagellam, hic prore
 sus nec doctrinę cœlestis magnitudi
 nem, nec nostram imbecillitatem, nec
 illā discendi rationem cōsiderat. Bar
 barica

barica imaginatio est, si quis non abs-
dua lectione accendendā mentem, &
augendam doctrinā existimat. Scitis
ita scriptum esse: Euangelium esse po-
tentiam Dei ad salutem omni creden-
ti, & esse ministerium spūs. Cogitatio
ne Euāgelij Deus est efficax in cordi-
bus legentiū, imo presentis Dei uocē
audientium. Et libri Prophetarū & A-
postolorum, cū eruditissimē scripti
sint, sine literis, sine eruditōe, nō pos-
sunt enarrari. Quid fieret si, abiectis
libris & literis, fingeret quisque quas
uellet sententias, ut fecerunt Ethnici,
Mahometiste, Iudei recentes, et nunc
Anabaptiste? Memini sapientē quen-
dā principē in Germania, cū in urbe
Monasteriensi furores Anabaptistici
grassarent, dicere: Nūc se magis intel-
ligere, quantū opus sit literis et erudi-
tione, ad seruādos certos libros & na-
tiuā sententiā: quia si nō regeret eccle-
sia certis libris & natia enarratione,

DE DICTO PAULI

fanaticos & audaces homines quoti-
die noua portēta excogitaturos esse,
& gloriaturos se afflatu diuino regi.
Hæc pericula cogitantes maiore stu-
dio libros et custodiamus et legamus.

Hęc de lectiōe breuiter dicta sunt,
quā nominat Paulus, ut significet Ec-
clesiā ad certos libros, & unicū quod-
dam doctrinæ genus alligatam esse.
Cumq; de totis libris primū dixit, po-
stea diuidit partes materiæ, quas cō-
tinent. Partim enim continent doctri-
nā, id est, dogmata seu articulos, qui
ostendunt qualis sit Deus, & quomō-
se patefecerit, unde sit hæc reꝝ natu-
ra, unde pctm̄ & mors, quomodo &
q̄ tēpore filius Dei missus, crucifixus
& resuscitatus sit, q̄ beneficia nobis
donet: partim uerò conciones diuinę
sunt adhortationes, traducentes anis
mos ad adfectū aliquem, ad timorē,
fidem, spem, dilectionem, leticiam, &
ad bona opera. Ita partes materiā
distri-

distribuit, de quibus hoc tempore dici
non potest: admonere tantum uos uolui,
ut cogiteris prudentissimè significari
Pauli uerbis, ad quos fines dirigenda
sint studia, uidelicet ad agnitionem ue-
ram Dei: Deinde ad accendendos pi-
os adfectus. Aderit Deus discipulis,
& ubicumque hæc scintilla accensa est, ut
cupiat mens proficere, gubernabit De-
us studia, & faciet, ut tota nostra gu-
bernatio sit salutaris, sicut scriptum est:
Deus est qui facit, ut recta uelimus,
& ut perficiamus, ut aliqua ipsi grata
fiant. Hunc ipsum æternum Patrem
Domini nostri Iesu Christi oro, ut propter
filium suum Dominum nostrum Iesum Chri-
stum regat, & iuuet totum ministeri-
um nostrum spiritu suo sancto, ut uerè cele-
bres uera & æterna diuinitas, et multi-
fiant heredes letissimæ & æternæ con-
suetudinis, cum Domino nostro Iesu Chri-
sto, & uniuersa electorum Ecclesia,
Amen. DIXI. Laus Deo.

Insigni pietate

ET ERVDITIONE VIRO

D. Ioanni Hesso, sacrae Theologiae

Doctori, Affini & Domino

suo semper obseruando.



Necidinuper, uir eximie,
in D. Ioannis Brentij
cōpatris mei suauissimi
chartas, quibus suarum
concionū capita solet assignare, quas
cūm percurrerem, obuenit mihi lo-
cus de Pœnitentia, quem multis iam
annis magna & singulari diligentia,
tempore Quadragesimæ, quam uo-
cāt, tractauit & cōcionatus est, quem
in usum meum descripsi, ac utcunq;
in ordinem mihi accommodum rede-
gi. Quod cūm amici quidam intelligen-
rent & uiderent, non destiterūt roga-
re & obsecrare, ut ad Ecclesiæ utilita-
tem,

tem, quæ collegeram, ederem. Quorum precibus, ut decuit, cōstanter obstiti: Primum, q̄ multa præclara scripta in eum locum essent ædita: Deinde, q̄ in tam docto seculo, quicq̄ in lucem edere, uiribus meis longe impar esse iudicarem. Ad hæc præter autoris & summi mei benefactoris uoluntatem illud facere, iniquum, imo impium duxi. Non tamen destiterunt amici urgere, ut precibus eorū obsequer: perpulerūt me tandem, ut cōciones loci de pœnitentia in manus resumserim, & ex alijs D. Ioānis Brentij cōcionibus & lucubrationibus (ut uidebunt, quorum D. Brentij uolumina uoluntur manibus) pro meis uiribus auxi, & in eum, quo nūc sunt, ordinem (materiā enim de pœnitentia, alio tempore paucioribus, alio plurius tractārat) redegi. Quas cū ita collegissem, ne furti notā incurrerē, retuli ad autorem D. Brentium, & il-

EPISTOLA

li amicorum ac meum consilium ex-
 posui. Ibitum ille manibus & pedi-
 bus, quod dici solet, repugnauit, di-
 cens, me, ut est in prouerbio, & *φῶς*
ἢ λίαν ἀεικεῖν, & hæc multo minora &
 indigniora esse, quàm ut orbi obtru-
 derentur. At cùm tibi amico suo non
 uulgari, has qualescunq; conciones
 me inscripturum affirmarem, mutata
 sententia facillè concessit, ut incepto
 pergerem. Adornaui igitur conciones
 illas prælo, partim quidem, ut dixi, au-
 ctas, partim, ut res tulit mutatas, in
 qua re si quid lectori displicebit, non
 D. Brentio, sed mihi imputet. Ad fi-
 nem etiam illarum concionum alias
 quasdam conciunculas D. Brentij ad-
 ieci, quibus ueluti breui quadam epi-
 tome, ratio pœnitentiæ & omnium
 eorum, quæ in prioribus concionibus
 prolixius tradita fuerunt, repetuntur.
 Hæc autem omnia idcirco feci, ut lo-
 cus de pœnitentia, olim prodigiosis
 &

& horrendis erroribus obscuratus, illustrius facili quadam simplicitate, apud rudiores & simplices, nam doctis nō sunt hæc parata, explicaretur.

Deinde, ut aduersariorum clamoribus & conuicijs responderetur. Clamant enim assidue Lutheranos (sic enim uocant uerè Christianos & ueritatis Euangelicæ sectatores) negligere omnem disciplinam, ad omnia peccata & scelera aperire fenestram, omnem cultum diuinū calcare pedibus, omnibus temporibus æqualiter sine discrimine abuti: breuiter, uniuersum Christianismum (ut ipsis uidetur) subuertere & tollere, clamitant. Isti ergo clamatores, aut potius calumniatores, in præsentem, quantumcunq; paruulo, libello uidebunt, quàm diligenter in Ecclesijs nostris, de Pœnitentia, de peccatis, de peccatorum agnitione, fuga, & odio doceatur: quanta item cōsolatione peccatores agnoscentes

EPISTOLA

peccata sua per fidem in Christum recipiantur & erigantur: ad hæc, quanta diligentia & serio boni mores & uitæ etiam externæ honestas, apud nostros prædicentur et urgeantur. Inuenient item, qua uia ad ueram Pœnitentiam & peccatorum remissionem peruentatur. Præterea, comperient quanta reuerentia uera Christi Sacramenta tractentur à nostris & accipiantur. Et cùm illi nusquam non bona opera iactitent, uidebunt hîc, quæ sint uerè bona opera, & in quem usum et finem bona opera faciènda sint. Infusper, cùm semper in ore habeant ceremonias & ferias suas, discent hîc, uerum ceremoniarum & feriarum usum, & sentient Ecclesias nostras minime reijcere & contemnere illas, sed potius in his rebus probe institui, ut sciant tam ceremonijs quàm ferijs piè ad incrementum salutis uti. Habent & p̄ in hoc libello p̄to breuem quandam epitomen

epitomen totius Christianæ doctrinæ, & eorum quæ fufius in aliorum scriptis Evangelicis traduntur.

Hunc igitur libellum & quicquid id laboris est, tibi uir ornatiffime & af finis fuauiffime, offero & dedico, ut tuæ erga me humanitati & ampliffimis tuis in me beneficijs, aliquod gratitudinis Specimen exhibeam, et cum id ex meo non potuerim, ex alieno decerpsi, quo abominabile ingratitude nis uitium, quo quo modo licuit, effugerem. Spero tamen id munusculi ex aliena decerpti & mutuati officina, humanitati tuæ non ingratum fore. Principio, q̄ sanctæ sint reliquiæ, non fictæ & eumentitæ, quales sunt Romanistarum: sed est sportula una fragmentorum eorum, quæ olim superfuerunt illis, qui manducauerant in mensa Domini, quæ nolui perire, cum multis profutura intelligerem, & gratiora etiam fore sentirem omnibus pijs,

EPIST. NVNCVPAT.

si tui nominis celebritate decorarentur. Deinde, non minus ueri autoris gratia, cuius benignitate licuit hæc frustra colligere. Ad hæc etiam ob amicum & syncerum mittentis animum. Humanitas ergo tua id quicquid est boni consulat oro. Vale bene per Christum Iesum Dominum nostrum. Salutat te Reuenter D. Brentius, ac se tuis & Ecclesiæ tuæ precibus (id quod & ego facio) quàm diligentissimè commendat. Ex Hala Sueuorum Calend. Septemb. Anno Domini 1544.

Wolfgangus Maler
minister Ecclesiæ
Hallensis apud Sue
uos T. D.

De Iustificatio

NE IMPII, DE POENITENTIA,
Sacramentis, & Ecclesiasticis
quibusdam ritibus,
Homiliæ.

HOMILIA PRIMA
de Pœnitentia.



VMad eam anni partem
peruenerimus, quam ue-
teres quadragesimã uo-
cârũt, in qua Ecclesia plu-
ribus fuit occupata riti-

bus, quàm ullo alio tempore, uisum
est aliquot diebus, de uera ratione
Christianismi, de Pœnitentia, de Sa-
cramentis, & quibusdam ritibus Ec-
clesiasticis, tractare, ut discamus, in
quo Christianismus constet, & ad
quid Ecclesiastica Sacramenta, siue
aliĩ ritus, nobis sint utiles.

Docebimus aut de istis rebus hoc

DE POENITENTIA

Tempora e-
qualia Chris-
tiano,

Galat. 4

Colossen. 2

Esaiā 66

præsertim tempore, nō quia hoc tem-
pus per se sanctius sit alio tempore,
ac necessaria sit quadragesimæ, ut vo-
cāt, obseruatio ad iustificationē: Nam
quod attinet ad iustificationē, omnia
tempora sunt equalia Christiano, nul-
lū altero magis iustificat. Sed necessa-
rium est, ut unoquoq; tempore iustifi-
cationem ē Christo Dño nostro per fi-
dem petamus, ut obedienter in man-
datis Dei ambulemus. Paulus probi-
bet obseruationem dierum: Dies, in-
quiens, obseruatis, & menses, & tem-
pora, & annos, metuo de uobis, ne
frustra laborauerim erga uos. Et rur-
sus: Ne q̄s uos iudicet in cibo aut po-
tu, aut in parte diei festi, aut nouilus-
nij, aut sabbatorum, quæ sunt umbra
rerū futurarū, corpus autē Christi. Et
Esaias de Christiano dicit: Erit mensis
ex mense, & sabbatum ex sabbato.
Quæ oīa eō respiciunt, q̄ obseruatio
temporum non sit necessaria ad iustifi-
ficatio

ficationem. Quare non docebimus
 hoc tēpore de ratione Christianismi,
 et de Pœnitentia, q̄ sentiamus tempo
 ra superstitiose obseruāda esse, sed ut
 quæ cognitu necessaria sunt, ordine
 explicent̄. Neq̄ em̄ oīa possunt simul
 eodem tēpore tractari. Ac liceret qui
 dē (ut & de alijs partibus anni & heb
 domadarum dicam) diem dominicū
 obseruare die Martis aut die Iouis (ut
 uocāt): liceret etiam carmen de mise
 ro Iuda cantare in die Paschæ: & car
 men de resurrectione Christi cantare
 in die magna Parasceues, aut resurre
 ctionis articulū tractare in natali Do
 mini, & articulum Trinitatis tractare
 in die Paschæ. Sed quia uetustissima
 cōsuetudo est, ut hæc eo ordine publi
 cē in Ecclesia tractētur, qui hactenus
 apud maiorē Christianorū partem usi
 tatus fuit, insania est, nō libertas Chri
 stiana, præter necessitatem à tam con
 firmata consuetudine recedere. Non

Den armē
 Judas.

DE POENITENTIA

Consuetudo
quando ser-
uanda.

licet quidem cū multitudi-
tudi- & cōsue-
tudi- peccare & impiè agere. Neq̃
enim, quia maior pars hominū fastidit
Christum, & sectatur sua desideria,
idem etiā nobis licebit. Neq̃ quia con-
suetudo est, ut in carnis priuio insania-
tur, nobis insanire licebit. Sed in re-
bus indifferentibus omnino maior
pars & consuetudo sectāda est. Qua-
re cū sit p̃ se res indifferēs, uel hoc,
uel alio tempore, de Poenitentia & re-
bus Ecclesiasticis publicè dicere, se-
quemur cōsuetudinem publicam, &
docebimus, quod Dñs donauerit hoc
tēpore, qua in re situs sit uerus Chri-
stianismus. Vestri autē officij erit dilia-
genter & attētis auribus atq̃ animis
accipere, q̃ dicuntur. Quæ enim doce-
bimus, uerba Dei sunt, quemadmodū
indicabimus, & sunt ad salutē nostrā
cognitu atque obseruatu necessaria,
Beati autē, inquit Christus, qui audiūt
uerbum Dei, & custodiunt illud. Et
per

Luca 11.

per Moſen præcepit Dominus de uerbo Dei, dicens: Ponite hæc uerba in cordibus ueſtris & in animis ueſtris, ſuspendite ꝑ ſigno in manibus, & inter oculos collocare, docete filios ueſtros, ut illa meditent, quando ſederis in domo tua, & ambulaueris in uia, & accubueris atq; surrexeris, ſcribes ea ſuper poſtes & ianuas domus tuę.

*Verbum Dei
diligenter ob
ſeruandum.
Deuter. 11*

Cum igitur ſuſceperim hoc tempore docendū de Pœnitentia, & de uera impij iuſtificatione, non inuenio huic rei aptius & commodius initium, q̄ eam concionē, quam primam omnium, reuelato Euangelio, Ioannes Baptiſta habuit. Cum enim Chriſtianismū prædicare inciperet, dixit Matth. 3, Pœnitentiā agite, appropinquauit enim regnum cœlorū. Atq; hæc concio tantū ualet ad explicandum Chriſtianismū, ut Ieſus Chriſtus ipſe cum Chriſtianismum publice inchoaret, hanc concionem primam omnium habuerit,

*Prima concio
Ioannis
& Chriſti.*

DE POENITENTIA

dicens Matth. 4. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Vnde & Christus hanc ipsam concionem primã & postremam omnium Apostolis suis commendauit, dicens Matth. 10. Euntes, prædicate, discētes, quia appropinquauit regnum cœlorum. Et Lucę ultimo: Sic scriptū est, & sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertía die, & prædicari sub nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum. Et Petrus Acto. 2. Pœnitentiam, inquit, agite, & baptisetur unusquisq; sub nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum. Quare necessarium est, ut ad intelligendam uerã Christianismi rationem, ac impij iustificationem, hanc primam Christi concionem probè intelligamus. Hortatur autem in ea ad pœnitentiam: quia, inquit, regnum cœlorum appropinquauit.

Videamus igitur primum, quod sit illud

illud regnum cœlorum, de quo Christus concionatur. Deinde, quàm necessaria Pœnitentiã sit, & quomodo pœnitentiã agamus, ut possimus regnum cœlorum consequi. Igitur Propheta ac præsertim Daniel capite secundo & septimo uaticinatus est de quinque Monarchiis, quarum quatuor sunt regna huius terræ, quinta autem Monarchia est regnum cœlorum. Porro quatuor summæ Monarchiæ huius seculi sunt, Babylonica, Persica, Alexandri Magni, & successorum Alexandri, quam Monarchiam alij uocant Romanam: & in his Monarchiis omnia sunt fragilia, misera, fluxa & caduca. In his regnauerunt pro maiori parte, iniquitas, oppressio pauperum, paupertas, morbus, infamia & mors. In quinta autem Monarchia, quæ est regnum cœlorum, uaticinati sunt Prophetæ oia fore iusta, fœlicia & perpetua: in hoc regno nulla erit iniquitas, nulla pauper-

*Monarchia
huius seculi
quatuor.*

*Monarchia
quinta
eius status.*

DE POENITENTIA

tas, nullus morbus, nulla infamia, nulla mors, sed perpetua uita & foelicitas. Sic enim Prophetæ statum huius regni, & conditiones ac proprietates eius describunt. Ac primum Esaias dicit capite 2. Erit in nouissimis diebus, hoc est, quando regnum cœlorum incipiet, præparatus mons domus Dñi in uertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eũ oēs gentes, & ibunt populi multi. Ac mox: Confabũt gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces. Nõ leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebunt ultra ad prælium. Et cap. 11. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, uitulus & leo & ovis simul morabũtur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & ursus pascẽtur, simul acquiescent catuli eorũ: & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, & in cauernã reguli, qui abla
ctatus

status fuerit, mittet manū suam. Non
nocebunt, & non occident in uniuersa
monte sancto meo, quia repleta est
terra scientia Dñi, sicut aqua maris o-
perientis. Et cap. 35. Deus ipse ueniet
& saluabit nos. Tunc aperientur ocu-
li cæcorum, & aures surdorum pate-
bunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus,
& aperta erit lingua mutorum. Ac rur-
sus cap. 60. Pro ære afferam aurum,
pro ferro afferam argentum, & pro
lignis æs, & pro lapidibus ferrum. Et
ponam uisitacionem tuam pacem, &
prepositos tuos iusticiam. Non audie-
tur ultra iniquitas in terra tua, uasti-
tas & contritio in terminis tuis, & oc-
cupabit salus muros tuos, & portas
tuas laudatio. Et mox: Non occidet ul-
tra Sol tuus, & luna tua non minuet:
quia erit tibi Dñs in lucem sempiter-
nam, & complebuntur dies luctus tui.
Populus autem tuus omnes iusti in per-
petuum habitabant terram, germen

DE POENITENTIA

plantationis meæ, opus manus meæ
 ad glorificandum. Minimus erit in mil-
 le, & paruulus in gētem fortissimam.
 Ac postea cap. 65. Ecce ego creo cœ-
 los novos, & terram nouam: & non
 erunt in memoria priora, & nō ascen-
 dent super cor: sed gaudebitis et exul-
 tabitis usq; in sempiternum in his que
 ego creo. Quia ecce ego creo Hieru-
 salem exultationem, et populum eius
 gaudium, et exultabo in Hierusalem,
 & gaudebo in populo meo, & nō au-
 dietur in ea ultrà uox fletus, & uox
 clamoris. Non erit ibi amplius infans
 dierum & senex qui non impleat dies
 suos. Ezechiel quoq; de statu & condi-
 tione regni cœlorum, per Messiam
 in hac terra inchoandi, ita scribit cap-
 ite 34. Non erūt ultrà in rapinam gen-
 tibus, neq; bestiaæ terræ deuorabunt
 eos, sed habitabunt confidenter absq;
 ullo terrore. Et suscitabo eis germen
 nominatum, & non erunt ultrà immi-
 nuti

nuti fame in terra, neq̄ portabunt op-
probria gentium. Ac rursus cap. 36.
Effundam super uos aquam mundā,
et mundabimini ab omnibus inquina-
mentis uestris, & ab uniuersis idolis
uestris, & dabo uobis cor nouum in
medio uestri. Et mox: Vocabo fruz-
mentum, & multiplicabo illud, & nō
imponam uobis famem, & multipli-
cabo fructum ligni & germina agri.
Huc accedit & Amos de conditione
regni cœlorum cap. 9. ita dicens: Ec-
ce dies uenient, dicit Dominus, & cō-
prehendet arator messorum, & calca-
tor uuæ mittentē semen: Et stillabunt
montes dulcedinem, & omnes colles
cultierunt. Sed & Daniel de huius
regni conditione cap. 9. scribens: Con-
summabitur, inquit, prauaricatio, fia-
nem accipiet peccatum, delebitur ini-
quitas, & adducetur iusticia sempit-
terna. Quid autem necesse est omnia
Prophetarum uaticinia hīc comme-

DE POENITENTIA.

*Regni celo-
rum status &
conditiones.* morare, quibus status et conditiones
 regni cœlorum per Messiam admini-
 strandi describuntur? Certè in hoc o-
 mnes Prophetæ consentiunt, statum
 huius regni cœlorū ita se habere, Pri-
 mum, q̄ omnia membra et subditi hu-
 ius regni habituri sint perpetuam pa-
 cem & tranquillitatem, ac tuti sint ab
 omnibus hostibus et aduersarijs. Des-
 inde, quòd possessuri sint omnium re-
 rum abundantiam, diuitias, et gloriā,
 nec ullam sensuri sint molestiam, do-
 lorem, morbum, ægritudinem & ad-
 uersitatem, sed fruuntur perpetua fa-
 nitate, incolumitate & prosperitate.
 Postremò, quòd omnes erunt iusti,
 sancti, Deo grati et accepti. Breuiter,
 semper ac perpetuò beati ac fœlices.

*Christus Mo-
narcha.* Cùm igit̄ Christus uenisset in ter-
 ram, prædicauit appropinquasse hoc
 regnum cœlorum, de quo Prophetæ
 uaticinati sunt. Christus enim est Mo-
 narcha huius regni, & aduexit illud
 in

in terrā ē cœlo, Aduenisse aut dicitur
 eo tempore, nondū externa maiestā-
 te, sed tantū externa prædicatione &
 reuelatione uerbi, donec aduenerit
 extremus huius seculi dies: tūc enim
 reipsa & externa maiestate reuelabi-
 tur, qđ nunc uerbo de hoc regno cœ-
 lorū prædicatur, & fide creditur. Pri-
 usquā igit̄ reipsa manifestatur, ne-
 cessarium est, ut de ipso uerbis prædi-
 cetur, quo homines interea temporis
 spacium habeant sese præparandi ad
 percipiendam et fruendā huius regni
 fœlicitatem. Quid enim aliud homini
 quærendum est, q̄ ut bona huius re-
 gni consequatur? Nulla alia bona, aut
 stabilia, aut uerē felicia sunt. Diuitiæ,
 sanitas, potentia, ut suas habent mole-
 stias, cū adsunt, ita nec sunt firma nec
 perpetua. Quare danda est opera, ut
 ea bona habeamus, q̄ nec prætereūt,
 nec ullas habent molestias. Ad hæc,
 creati sumus, non ut bestiæ ad sectan-

DE POENITENTIA

das voluptates corporis, & ad fruēda
tū bona terrestria, sed creati sumus
ad fruenda bona perpetuo duratura.

Hoc unum igitur nobis agendum
est, ut ea bona cōsequamur. Quomo-
do ergo hoc fiet? Num si ducamus ut
tam p̄ libidine nostra, in modum im-
piorum aut porcorum? Nequaquā, sed
audiendus est Christus, audiendus lo-
annes Baptista, & omnes Apostoli.
Hi enim docent commodissimā et cō-
pendiarium uiam ad cōsequenda bo-
na regni cœlorum. Dicunt enim oēs
uno ore: Pœnitentiā agite, appropin-
quauit enim regnum cœlorum. Non
fruemur bonis regni cœlorū ignauia,
non impietate, non sceleribus, sed pœ-
nitentia & resipiscētia à sceleribus.
Non ueni (inquit Christus) ut uocare
iustos, sed peccatores ad pœnitentiā.
Et per Hieremiam quoq; cap. 18. Do-
minus de pœnitētia dicit: Si pœniten-
tiam egerit gens illa à malo suo, quod
locutus

*Quomodo
bona regni
cœlorum con-
sequamur.*

locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiã super malo quod cogitauit, ut facerẽ ei, &c. Et Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit oia pœcepta mea, & fecerit iudiciũ & iusticiã, uita uiuet et non morietur. Nunc ergo uidendũ erit in quo consistat pœnitentiã. Sed ne plus equo longior sim, reiiciã illud ad sequentes homilias, ac finiã hîc sermonem, si prius illud uos admonuerõ, ut cùm tractaturi simus ea quę ad salutem uestrã maximè oim pertinẽt, diligenter cõciones uisitatis, & nunc hoc cognoscatis, q̄ post Christum natum uersetur in regno cœlorũ, quantum ad externam prædicationem Euangelij de Christo ac fidem in Christum attinet. Qui ergo uoluerit bonis regni cœlorum re ipsa frui, is necesse habebit pœnitentiã agere per Christum Iesum Dñm nostrũ, qui est unã

DE POENITENTIA
cum Patre & Spiritu sancto laudandus
Deus in secula, Amen.

HOMILIA SECUNDA, DE
Pœnitentia & eius partibus.



Vperiore dominica recepimus nos hoc quadragesimæ tempore dicturos de Pœnitentia, de Sacramento, & alijs quibusdam ritibus Ecclesiasticis: quod ut commodè fieret, suscepimus concionem, quam Christus primam omnium habuit, tractandam. Ea autem est: Pœnitentiam agite, quoniam appropinquavit regnum cœlorum. Cæterum, ut ea quæ dicturi sumus melius intelligantur, repetemus nonnulla, quæ nuper paucis explicuimus. Principio enim probè obseruandum est, quod quantum quidem ad externam uitæ cōuersationem & speciem attinet, uersamur adhuc in regno terræ, uidelicet in eo regno, quod Daniel ultimū inter quatuor Monarchias, Babyloniam, Persicam,

sicā, Alexādrī Magnī, & successorum
 eius, seu Romanā, fore prædixit. Vn
 de necesse habemus pro conditione
 eius regni multa aduersa tolerare, &
 in maxima miseria uiuere. Quantum
 aut attinet ad publicā prædicationem
 Euangelij de Iesu Christo, non ampli
 us uersamur in regno terræ, sed in re
 gno cœlorū, quod & ipsum in diebus
 regnorum terræ uenturū Daniel ua
 ticipinatus est. Nam Christus summus
 Monarcha regni cœlorum est. Et Lu
 cæ 11. ait: Si digito Dei eijcio demonia,
 profectō peruenit in uos regnū Dei.
 Et Luca 17. Non ueniet regnum Dei
 cum obseruatione: neq; dicent, ecce
 hic, aut ecce illic: ecce eīm regnū Dei
 intra uos est, hoc est, regnum Dei iam
 uobiscum præsto adest. Regnum igit
 cœlorū cœpit in terra esse ab eo tem
 pore, q̄ Christus in hūc mūdum uenit
 & prædicauit Euāgelion, ac perdura
 bit in terra usq; ad nouissimum diem.

Regnum cœ
 lorum quādo
 incepit.

Considera
 tione regni
 cœlorum
 non tantum
 sed etiam
 terrarum

DE POENITENTIA.

Regni cœlorum
conditio
nes.

Deinde obseruandæ sunt conditio-
nes huius regni cœlorũ. In hoc enim
regno non est amplius puer aut in-
fans, sed oēs sunt adultæ & plenæ eta-
tis. Non est infirmitas, sed perpetua sa-
nitas. Nō est paupertas, sed perpetuæ
diuitiæ. Non est infamia, sed perpetua
gloria. Non est oppressio et uiolenti-
a ac seruitus, sed perpetua libertas. Nō
est subditus aut seruus, sed oēs sunt
reges & principes. Non est pœn-
itentia, sed perpetua iusticia. Nulla omnino est af-
flictio, sed perpetua fœlicitas. Deniq̃,
neq̃ mors est, neq̃ infernus, sed per-
petua uita & sempiternũ cœlum. Hæc
sunt cōditiones regni cœlorũ, q̃d Chri-
stus in hũc mundum adduxit, quem
admodũ à Prophetis descriptæ sunt.

Conditiones
regni cœlorũ
num sentian-
tur re ipsa.

Postremò, obseruandum est, q̃ hæc
conditiones nō sentiantur nũc re ipsa,
& secundum externam huius seculi
formam, sed tantum prædicantur uer-
bo uocali, et percipiuntur fide, donec
aduenerit

aduenerit nouissimus dies. Nam potuisset quidem Christus, cum aduenit in carnem, regnum cœlorum externa maiestate reuelare & administrare, sed hoc importunissimum fuisse hominibus, non solum his qui eo tempore fuerunt, sed his etiam qui postea uixerunt, & usque ad nouissimum diem erunt. Nam si Christus statim in priori suo aduentu, regnum suum secundum eternam maiestatem inchoasset, inuenisset homines imparatos. Non recipit autem hoc regnum nisi paratissimos, id quod indicant parabola Matthei 25. de decem uirginibus, & de seruis negociantibus cum bonis domini sui. Et Luca 12. Sint lumbi (inquit) uestri præcincti, & lucernæ accensæ in manibus uestris, & uos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis, &c. Necessario igitur fuit ut prius aliquandiu regnum cœlorum prædicaret, antequam reipsa

DE POENITENTIA

manifestaretur, quo homines interea
 temporis haberent spacium præparan-
 di sese ad percipienda tanta bona reg-
 ni cœlorum. Audiamus ergo quomo-
 do debeamus nos ad consequendum
 hoc regnum præparare. Porro, nemo
 potest nos melius de hac re docere,
 quàm qui est Monarcha huius regni les-
 sus Christus Dñs noster. Is ergo sic
 ait: Pœnitentiam agite, quoniam ap-
 propinquauit regnum cœlorum. Hoc
 est, si uultis uos præparare ad percipi-
 enda bona regni cœlorum, & ipsum
 regnum Dei cōsequi, necesse habetis
 Pœnitentiã agere. Ad Pœnitentiã
 autem agendam, tanquã ad ueram
πραξις percipiendi regni cœlorum,
 tam Christus, quàm ex spũ Christi omnes
 Prophetæ & Apostoli hortati sunt,
 quẽadmodũ suprà demonstraui-
 mus.

Hic nunc uidendum est, quid sit
 Pœnitentia, in quo uera Pœnitentia
 consistat, aut quid faciendum sit, ut
 ueram

ueram agamus Pœnitentiã. Et in hac
 re totus salutis nostre cardo uertitur.
 Si hîc aberraueris, à regno cœlorum
 aberrasti. Si hîc rectã incesseris, ad re-
 gnum cœlorũ peruenies. Quare ma-
 xima opera danda est, ut rationem ue-
 rã pœnitentiæ probè cognoscas. Est
 autem pœnitentiã, de qua in præsen-
 tiã loquimur, innouatio seu mutatio
 sceleratæ uitæ in melius, ut iusti corã
 Deo ac beati efficiamur. Scio quidem
 pœnitentiã aliãs aliter definiri, sed
 malui, quicquid id est ruditer explica-
 re. Etenim, tunc mutamus uitam no-
 stram in melius, cùm purgamur à pec-
 catis, in quibus concepti ac nati su-
 mus, & liberamur à sceleribus, quæ
 operibus designauimus, ut ambule-
 mus in bonis operibus, quæ Deus no-
 bis precepit. Per pœnitentiã autem
 purgamur à peccatis, & liberamur à
 sceleribus nostris. Est igitur pœniten-
 tiã sceleratæ uitæ mutatio in melius,
 quo iusti facti, salutem consequamur.

*Pœnitentiã
 quid.*

DE POENITENTIA

*Pœnitentiæ
partes iuxta
scholasticorū
opinionem.*

Cæterum duplex est de ratione pœnitentiæ opinio: Altera est Sophistica, aut Monastica, qua tres pœnitentiæ partes constitutæ sunt. Prima, contritio: secunda, confessio: tertia, satisfactio, de quibus ita docuerunt, q̄ merita horum operum expiēt peccata, & propiciū reddant Deum, ac mereantur uitam eternam, uidelicet, quòd si quis doleat in corde suo p̄pter peccata, & postea confiteatur ea sacerdoti, ac demum obseruet satisfactionem sibi iniunctam, uidelicet peregrinationem aliquam, aut ieiuniū aliquot dierum, aut missas, aut orationunculas aliquas, & id genus alia, is propter merita horum operū consequatur remissionem peccatorum & uitam eternā. Hæc est opinio ualde impia, & ad infernum potius quàm ad cœlū animas demittens: hisce opinionibus nō præparatur homo ad regnum cœlorum, sed potius ad infernum. Nam si contritio expiaret suo merito p̄ctā, certè etiam

etiam Esau et Iudas expiassent sua scelera contritione, qui tantam habuerunt contritionem, ut Esau fleuerit, & Iudas seipsum suspendit. Item si confessio seu enumeratio peccatorum coram sacerdote expiaret suo merito peccata, cur non et Iudas iustificatus esset, qui ingenuè confitebatur peccatum suum coram pontificibus? Et cur tortura non etiam sua confessione, quam in tortura faciunt, expiarent sua peccata? Ad hæc, si opera illa quæ uocant satisfactoria, ut sunt peregrinationes, missæ, &c. satisfacerent merito suo pro peccatis, quid egeremus Christo? ad quod ille de cælo descendisset? cur pro peccatis nostris passus esset? Quare hæc opinio omnibus modis fugienda est.

Altera est uera fides Christiana, qua etiam tres constituuntur partes *Veræ pœnitentiæ partes.* Prima est agnitio peccatorum. Secunda est fides in Iesum Christum, quod propter ipsum habeamus remissionem peccatorum.

DE POENITENTIA

Tertia, non propriè pars, sed fructus poenitentiae est, obedientia mandatorum Dei. Hæc est uera doctrina de poenitentia, & hæc sunt ueræ partes poenitentiae, quas licet et quidem uocabulis Sophistarum nominare, ut agnitionem contritionem, quæ uenit ex agnitione peccatorum; & fidem confessionem, quæ in confessione audiatur absolutio, et confirmetur fides: ac obedientiam mandatorum, satisfactionem, non quidem pro peccatis, sed ad gratiarum actionem. Quia uero Sophistæ addiderunt suis uocabulis impias opiniones, quæ scilicet opera ipsa merentur remissionem peccatorum, & nunquam meminerunt rectæ fidei in Christum, sinamus eos ualere cum suis uocabulis, & utamur his, quæ sacra scriptura proponit. Et constituamus poenitentiae partes, uidelicet, agnitionem peccatorum, fidem in Christum, & obedientiam mandatorum Dei, pro fructu fidei & gratiarum actione. Nam poeni-

pœnitentiam his partibus & officijs
constare, Scriptura ipsa testatur. Ete-
nim duo tantum cōcionatores nobis
in scriptura præcipui & supremi con-
stituuntur, qui de præparatione ad re-
gnum cœlorum docuerunt. Sic enim
ait Mose Deut. 18. Prophetam de gen-
te tua, & de fratribus tuis sicut me su-
scitabit tibi Dñs Deus tuus, ipsum au-
dies, &c. Hic uides duos tantum sum-
mos concionatores nobis proponi,
quorum conciones de cœlo misse, &
cœlestibus miraculis cōfirmatæ sunt.
Ac sunt quidem etiam Prophetæ &
Apostoli concionatores, sed hi fuerūt
Mosi & Christi discipuli, & quicquid
concionati sunt è Mosi & Christi con-
cionibus constat. Itaque non sunt nisi
duo summi pœnitentiæ doctores, al-
ter est Moses, alter est Iesus Christus.
Moses autem docuit legem. Porrò
per legem, inquit Paulus Rom. 3. ag-
nitio peccatorum. Et Roma. 7. Non
cognoui peccatū nisi per legem. Pri-

*Duo tantum
concionatores.*

DE POENITENTIA

ma igitur poenitentiae pars est, agnitio peccatorum. Alter est Christus. Is autem docuit Euangelion, quod per ipsum habeatur remissio peccatorum. Porro Euangelion requirit fidem. Est igitur fides secunda pars poenitentiae. Vterque autem tam Moses quam Christus hortantur ad bona opera, & exigunt obedientiam mandatorum Dei ex fide. Requiritur ergo tertio ad poenitentiam, ut obsequamur ex fide mandatis Dei. Ad haec Christus Ioan. 3. dicit: Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam eternam. Nemo autem credit peccata sibi remissa esse nisi agnoscat peccata. Et fides non potest esse sine fructu suo. Quare ad poenitentiam requiruntur & agnitio peccatorum, & fides ac fructus fidei. Praeterea Lucae 10. dicit Christus ad Martham: Martha sollicita es & cur multuaris circa multa, atqui unum est

est necessarium. Quod est illud unū
 Credere Euangelio Iesu Christi. Hoc
 autem credere ante se habet agnitio-
 nem peccatorum, & post se fructus
 fidei. Quare poenitentia constituitur
 ex agnitione peccatorum, fide & fru-
 ctibus fidei. Et quia poenitentia est
 preparatio ad percipienda bona re-
 gni cœlorum, consentaneum est, q̄
 qui agnoscit peccata sua, & cre-
 dit in Christum, quòd propter ipsum
 habeat remissionem peccatorum, &
 obsequitur ex fide mandatis Dei, is
 iam rectè preparatus & idoneus est
 ad consequendum regnum cœlo-
 rum.

Quid audio? inquit, si hæc tria suf-
 ficiunt ad cōsequendum regnum cœ-
 lorum, quid ergo opus mihi est ut au-
 diam conciones, ut baptizer, ut sumā
 cœnam Domini, ut orem, ut legam sa-
 cra, ut cantem psalmos ecclesiasticos,
 & id genus alios ritus ecclesiasticos
 faciā? De his rebus postea audiemus.

DE POENITENTIA

Indicabimus em̄ diuina aspirante gra-
 tiā, tam illegitimū abusum, q̄ uerum
 & legitimum earum usum, ut cogno-
 scamus ad quid nobis hæc utilia et ne-
 cessaria sint. Nunc hoc alta mente re-
 ponendum est, quòd ad percipiendū
 regnum cœlorum, necessaria sit pœ-
 nitentia. Pœnitentia aut̄ non ita cons-
 stat tribus partibus, contritione, cons-
 fessione, & satisfactione, quòd meri-
 ta horum operū sint exlationes pec-
 catorum, Sed quòd cōstet ex agnitio-
 ne peccatorū, fide & obedientia. Quæ
 si sectemur, habebimus regnum cœ-
 lorum, nō propter merita nostra, sed
 propter Iesum Christū Dñm nostrū,
 qui est unā cū Patre & spiritu sancto
 Deus laudandus in secula, Amen.

HOMILIA TERTIA.

*In die Annunciationis Mariæ, repetitio partium
 Pœnitentiæ, & de predicatione uerbi Dei.*



Elebramus hodierno die
 memoriam eius annun-
 ciationis, quæ facta est ab
 angelo

angelo ad uirginem Mariam, cuius rei historiam Lucas describit capite primo, dicens: In mense sexto missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Nazareth, &c. In qua historia multa obseruatu dignissima ueniunt. Primum apparet angelus Mariæ uirgini magno & stupendo miraculo, & definit Mariam matrem Messia fore, filiumq; Mariæ uerum esse Messiam. Quāquā enim Messias cupidissime expectabatur è semine Dauidis, tamen nesciebatur, quæ mulier ad pariendum Messiam electa esset. Nunc igitur mater Messia ab angelo definitur. Interim autem dum angelus matrem definit, paraphrasi, aut potius periphrafi quadam explicat Messiam, seu Christum. Dicit enim: Paries filium, & uocabis nomen eius IESVM. Is erit magnus, & filius altissimi uocabitur. Et dabit illi Dominus sedem Patris sui Dauid, &c. Hæc uerba è Prophetis desumpta, quid aliud significāt

DE POENITENTIA

quã Iesum esse Messiam? Itaque in hoc miraculo obserua, Mariam esse matrem Iesu, & Iesum esse uerum Messiam. Deinde confirmatur in hoc loco articulus fidei nostræ de Christo, Conceptus de spiritu sancto. Maria enim interrogat, quomodo possit fieri mater, cùm uirum nō agnoscat. Et respondet angelus, Spiritus sanctus superueniet in te, et uirtus altissimi obumbrabit tibi, &c. Postremo, confirmatur fidei efficacia exemplo Mariæ. Nam quod nature erat impossibile, hoc in Maria efficitur à Deo per fidem ipsius Mariæ & possibile & facile. Cùm enim Maria promissionem diuinã fide accepisset, dicens: fiat mihi secundum uerbum tuum, statim facta est mater Christi. Vnde & Elizabeth postea dicit: Beata quæ credidit, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt ei à Dño. Hæc et alia multa possent in hac historia de annunciatione pluribus explicari, sed quia hoc tempore

de Pœnitentia & Sacramentis nobis est sermo, seponam nūc historiam de annunciatione, & pergā ea, q̄ in superioribus Homilijs p̄posui explicare.

Diximus autem regnum cœlorum nunc esse in terra per Christum, id quod etiam angelus in adnunciatione sua testatur. Neminem autem posse in regnum cœlorum intrare, & bonis eius frui, nisi antè præparatū pœnitentia. Itaq; docuimus pœnitentiam cōstare tribus partibus, uidelicet agnitione peccatorum, fide in Christum, & fructu fidei seu obedientia mandatorum Dei. Hæc si quis rectè intelligat, intelliget etiam uerū Christianismum. Et hæc sola ad consequendum regnum Dei necessaria sunt.

Sed dubitauerit quispiam: Si hæc sola ad consequendam hæreditatem regni cœlorum necessaria sunt, ad quid prodest prædicatio uerbi Dei, Baptismus, cœna Dominica, & aliij quidam ritus Ecclesiastici; Hanc quæ

DE POENITENTIA

stionem ideo propono, q̄ multi sint
 cōtempores uerbi Dei & sacramen-
 torum, qui si unam aut alteram cōcio-
 nem, imo etiam nullam audierint, ias-
 ctent se sine prædicatione uerbi Dei,
 & sine sacramentis posse consequi re-
 gnum cœlorum. Quia credimus, in-
 quiunt, in creatorem cœli & terræ, et
 in eum Deum, qui nobis filium suū mi-
 sit. Scimus etiam, q̄ alteri non debeas
 mus facere, id quod nobis fieri noli-
 mus. Hæc uerba etsi partes Christiani-
 smi cōtineant, tamen quia neglectio
 res uerbi Dei & sacramentorum dis-
 cunt ea cōtemptu rerum diuinarum
 & ecclesiasticarum, indicāt magis im-
 pietatem quā fidem. Docebimus er-
 go aspirante diuina clemētia, ad quid
 prædicatione uerbi Dei, & sumptio sa-
 cramentorum, necessaria sint, ut p̄j in-
 pietate conseruentur, et impij cōtem-
 ptores suæ impietatis admōneantur
 ac resipiscant. Sed priusquā ea de-
 monstremus, operæ precium iudico
 rationem

rationem partium poenitentiae paulo manifestius explicare, ne quis impudens existimet harum partium dignitatem per se tanti momenti esse, ut mereantur remissionem peccatorum & uitam aeternam. Nisi enim haec de poenitentia recte intelligantur, a toto ueri Christianissimi scopo aberratur.

Prima igitur pars Poenitentiae est, *Agnitio peccatorum, prima poenitentiae pars.* agnitio peccatorum. Haec non eo ualet, ut sit meritum remissionis peccatorum & uitae aeternae. Sicut enim morbi agnitio non est morbi remedium: ita nec agnitio peccatorum est remedium aut remissio peccatorum. Agnoscunt omnes damnati peccata sua, non tamen consequuntur remissionem peccatorum, sed perpetuo damnati manent. Agnouit & Iudas peccatum suum, non tamen consecutus est regnum caelorum. Quare agnitio peccatorum non ad hoc ualet, ut sit meritum remissionis peccatorum, sed ualet ad hoc, ut sit praeparatio ad inquirendum

DE POENITENTIA.

& cognoscendum Christum per fidem, per quem Christum solum habetur remissio peccatorum & vita eterna. Nam sicut agnitio morbi impellit ægrotantem ad inquirendam medicinam, quæ sola à morbo liberat: ita agnitio peccatorum impellit peccatorem ad inquirendum Christum, in quo solo est peccati remissio.

Fides in Christum. Secunda poenitentis pars, est fides in Christum, quòd propter ipsum habeamus remissionem peccatorum. De hac fide iterum observandum est, quòd sui ipsius operis dignitate non sit meritum, propter quod expientur peccata, & acquiratur regnum cœlorum. Nemo enim tantum credit, quantum debet. Oportet enim veram & perfectam fidem esse sine omni dubitatione. Peccatum autem originis in tantum nobis adhæret, ut semper circumferamus in carne nostra dubitationem. Cum igitur fides nunquam sit ex omni parte in nobis perfecta, non potest

est fides tanti meriti per se esse, ut cōsequatur sua ipsius dignitate remissionem peccatorum: sed ad hoc ualet fides, & ad hoc est necessaria, et hoc est officium fidei, ut sit organon seu instrumentū, quo excipitur Iesus Christus, qui solus est meritum nostrum: qui solus est expiatio peccatorū: qui solus est iusticia, uita & foelicitas nostra. Nam quemadmodū in distributione eleemosynæ, quam uocant, non illud dicitur uel eleemosyna, uel meritum eleemosynæ, q̄ pauper extendit manum ad accipiendam eleemosynā. Nisi enim clemens esset eleemosynarius, & nisi prius oblata esset eleemosyna, pauper ipsa manuū suarum extensione nihil consequeretur. Ita in distributione remissionis peccatorum & uitæ æternæ, ipsa fides est ueluti extensio manus, qua recipitur Christus, uera peccatorum remissio, non qua meret peccatorū remissionem.

Tertia poenitentiae pars est obedi-

DE POENITENTIA

*Obedientia
nostra.*

*Opera et gra
tiarum actio
sunt fructus
fidei.*

entia mandatorum Dei ex fide. Hæc
etiam non ad hoc ualet, ut sit expiatio
peccatorum. Nullus enim unquæ per se
cte obediuit mandatis Dei: et semper
remanent in homine etiam pio relictæ
quæ carnis, præ quibus fieri non po-
test, ut mādāta Dei nostris operibus
perfecte impleantur. Si autem nō ha-
bemus perfectam impletionem præ-
ceptorū Dei in nobis, quomodo pos-
semus per ea opera, quæ sunt imper-
fecta, nostra peccata expiare? Ad hoc
autem ualet obedientia, ut sit fructus
fidei, ut sit gratiarum actio, ut sit etiam
aliquo modo conseruatio fidei. Ni-
si enim obediamus fidei, extinguitur
fides. Item ut sit meritum, non dico re-
missionis peccatorum & uitæ æter-
næ, sed aliorum quorūdam donorum
corporalium & spiritualium. Denique
etiam ut sit publica confessio & glori-
ficatio nominis Dei inter homines.
Hæc adiungere uolui, ut partes Pœnitentiæ
penitus cognitæ haberemus. Nunc

Nunc igitur uideamus, ad quid a-
lia, quæ supra enumerauimus, nobis
utilia et necessaria sint. Ac uerum qui-
dem dicerent contemptores rerum
diuinarum, sibi ad salutem nihil aliud
necessariū esse, quàm agnoscere pec-
cata, credere in Christum, & obedire
Deo, si hæc nobiscum simul in carne
& sanguine nostro nascerentur, & in
natura nostra hærent, sicut aliæ na-
turales uires. Nunc autem ea est cor-
ruptio naturæ nostræ per peccatum
originis, ut nō possimus illa ex huma-
nis nostris uiribus acquirere, posside-
re & retinere. Primum enim per pec-
catum originis intantum cæci facti su-
mus, ut nostram imbecillitatem non
queamus ex nobis agnoscere. Et si-
cut nemo potest suam ipsius faciem
nisi obiecto speculo contemplari, ita
nemo potest perfectè sua peccata ex
seipso agnoscere. Ieremia 17. dicitur:
Prauum est cor hominis & inscruta-
bile, quis cognoscet illud? Ego Do-
h

DE POENITENTIA

minus scrutans cor, & probans re-
 nes. Et Psal. 18. Delicta quis intelligit?
 ab occultis meis munda me Domine.
 Quare aliud quiddam nobis ne-
 cessarium est, per quod ueniamus ad
 agnitionem peccatorum. Deinde nec
 ipsa fides nascitur in carne nostra. Na-
 scimur enim omnes sine fide in dubi-
 tatione & desperatione. Psal. 50. Ecce
 ce enim in iniquitatibus conceptus
 sum, & in peccatis concepit me ma-
 ter mea. Et Ioannis 1. Qui non ex san-
 guinibus, neque ex uoluntate carnis,
 neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo na-
 ti sunt. Et Ioannis 3. Quod natum est
 ex carne caro est. Item: Nisi quis rena-
 tus fuerit de supernis, non intrabit in
 regnum cœlorum. Quare necessarie
 nobis sunt aliæ res, quibus fides in no-
 bis generetur.

Postremo, nec ipsa obedientia Dei
 nobis naturalis est. Naturalis quidem
 est honestas quædam uitæ, sed obe-
 dientia Dei in ea honestate non est in
 carne

carne nostra. Neceſſarius enim eſt ad
ipſam Spiritus ſanctus. Is autem non
nascitur in nobis, ſed aliunde nobis
aduenit. Quare ut cognoſcamus pec-
cata, ut credamus, ut obediamus
Deo, & in his conſeruemur, multa ad
nos neceſſaria ſunt. Itaque princi-
pio inſtitutum eſt diuinitus miniſte-
rium predicationis uerbi Dei, de quo
ut recte ſentiamus, non eſt exiſtiman-
dum, quod Dominus inſtituerit pu-
blicam predicationem uerbi ſui ad ſu-
perſtitionem, ad opinionem operis,
ut uocant, operati, aut ad fallendum
tadium temporis. Noſtis enim ſuper-
ſtitiones & opiniones, quæ haecenus
ſub Papatu de concionibus habitæ
ſunt. Nam peccatorum indulgentiæ
fuerunt promiſſæ his, (libet enim de
nobis exemplum referre) qui ascen-
derent gradus ante templum no-
ſtrum ad concionem, & qui audirent
concionem, ac unusquiſque gradus &
concio habuerunt certum indulgentiæ

DE POENITENTIA

tiarum numerum. Hæc est impiissima opinio. Transfert enim gloriam Christi in opus a nobis operatum, & in meritum nostrorum operum. Fieri quidem potest, ut qui ascenderit per hosce gradus, qui sunt ante templum nostrum, ad concionem Euangelij, consequatur indulgentiam peccatorum, non solum quadraginta aut quinquaginta dierum, sed totius vitæ, in hoc & futuro seculo. Hoc autem non contingit propter opus operatum ipsius ascensus, & auditus, sed propter Christum, qui in concione Euangelij fide concipitur. Quare non est sentiendum, quod institutum sit ministerium prædicationis uerbi Dei, ut existimemus ipso auditu opere facti fieri diuinæ ordinationi. Sunt alij qui putant tantum ad fallendum tardum temporis institutum esse, sed hi ipsi potius falluntur. Nam institutum est hoc ministerium maximis & stupendis miraculis, primum in monte Sina,

nai, deinde in die Pentecostes in Hierusalem. Et in mōte Sinai dictum est: Nisi quis audierit et obedierit, maledictus sit. In Hierusalem dictum est: Qui crediderit et baptisatus fuerit, saluus erit. Quare non ad mitigandum tedium temporis, sed ad salutis nostræ necessitatem institutum est ministerium uerbi Dei, uidelicet in hunc finem, ut per hoc ministerium ducemur in agnitionem peccatorum, & conciperemus fidem in Christum, atque donaremur Spiritu sancto, quo & in fide conseruaremur, & ad obedientiam Dei excitaremur. De qua re quoniam nunc ob temporis breuitatem plura dicere nō licet, posthac disseremus. Nunc autem hoc memoriam reponamus, pœnitentiæ partes, non suo merito, sed merito Christi, quem per fidem accipimus, afferre nobis salutem. Et quod partes pœnitentiæ non sint naturaliter in carne nostra, sed necessarium sit diuina or-

DE POENITENTIA

gana habere, per quæ ad has partes
 perueniamus. Inter organa autem di
 uina, primum omnium est ministeria
 um uerbi Dei, per quod & peccata
 ostenduntur, & fides datur, & Spi
 ritus sanctus accipitur, ut queamus
 constare in Christo Iesu Domino no
 stro, qui est unâ cum Patre & Spi
 ritu sancto laudandus Deus in secula,
 Amen.

HOMILIA QVART A.

De predicatione Legis.



Docuius partes poeni
 tentiæ, primum, quod
 non suo, sed Christi me
 rito adferant nobis salu
 tem. Deinde, quod non
 adhæreant nobis naturali ratione: sed
 necesse sit diuina & coelestia organa
 habere, per quæ in nobis diuinitus cre
 entur, agnitio peccatorum, fides in
 Christum, & obedientia mādatorum
 Dei. Porro inter organa, quæ diuinit
 us ad hoc ordinata sunt, primum or
 omnium

mniū est prædicatio uerbi Dei. Ex-
 plicemus igitur nunc quam habeat
 hoc organō rationem, & in quem po-
 tissimum usum conducat. Ac princi-
 pio prædicatio uerbi Dei non est insti-
 tuta à Deo, ut sit ex opere operato,
 uel prædicantis, uel auditoris meri-
 tum remissionis peccatorum & uitæ
 æternæ, qualis est hypocritarum opi-
 nio. Hoc enim institutum pugnat cū
 maiestate Christi, in qua sola consistit
 dignitas meritorum remissionis pec-
 catorum & uitæ æternæ. Quomodo
 autem posset Deus Pater aliquid in-
 stituere contra maiestatem & glori-
 am filij sui? Deinde, non est instituta
 ad fallendum tædium temporis. Est
 enim instituta et ordinata maximis et
 stupēdis miraculis, quemadmodum
 etiam suprā indicauimus. Quid autē
 tem necessarium fuisset tot ac tantis
 miraculis prædicationem uerbi Dei
 instituere & confirmare, si tantum
 ad fallendum tempus et mitigandum

DE POENITENTIA

tædium ordinata esset? Quare sentien-
 endum est, non potissimum ad uolu-
 ptatem, sed maxime omnium ad salu-
 tis nostræ necessitatem, eam institu-
 tam esse. Ac præcipuè organon est di-
 uinum, quo datur hominibus spiritus
 sanctus, & quo spiritus sanctus ope-
 ratur, creat & cōseruat in hominibus
 partes pœnitentiæ, uidelicet agnitio-
 nem peccatorum, fidem in Christum,
 & obedientiam mandatorum Dei.

Est autem duplex prædicatio, alte-
 ra est Legis, altera Euangelij de Iesu
 Christo. Legis prædicatio in hoc po-
 tissimum instituta est, ut spiritus san-
 ctus per diuinæ legis explicationem
 ducat nos in cognitionem peccato-
 rum nostrorum. Vnde Paulus ait Ro-
 manorum tertio: Per legem agnitio
 peccati. Et capite septimo: Peccatum
 non cognoui nisi per legem: nam &
 concupiscentiam non nouissem, nisi
 lex diceret: Non concupisces. Etenim
 non possumus naturalibus & huma-
 nis

nis uiribus peccata agnoscere. Per peccatum enim originis intantum ex cæcati sumus, ut nostram imbecillitatem nō possimus ex nobis ipsis agnoscere, neq; peccati gravitatem uiderē. Ieremias enim cap. 17, inquit: Præuum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor & probans renes. Et Dauid Psalmo 18. Delicta, inquit, quis intelligit? ab occultis meis munda me. Quare necesse est aliud quiddam esse per quod peccata agnoscamus, & eorū gravitatem intelligamus. Quid autem illud est? Cœlestis reuelatio. Nam Deus cœlesti sua reuelatione hominibus peccata patefacit. Conuersio enim peccatoris fit diuina uirtute, iuxta illud Ieremiæ 31. Conuerte me & conuertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquā enim conuertisti me, egi pœnitētiā, & postquā ostēdisti mihi, percussifemur meum. Conuersio autem non fit nisi prius

DE POENITENTIA

peccata reuelent & ostendant. Ad agnitionē ergo peccatorū necessaria est cœlestis reuelatio. Cæteræ quę Deus reuelat, per organa sua reuelat, ut cū Deus Pharaoni in Aegypto uellet reuelare septem annos ubertatis, ac de inde septem annos maximæ sterilitatis, reuelauit ei per somnia, somnia autem per Iosephum exponit, Gene. 41. Sic cum Dauidi uellet grauitatē peccati sui reuelare, reuelauit ei per Nathan Prophetā 2. Regum 12. Sic cū numerasset Dauid populum 2. Reg. 24. reuelauit ei Deus peccatum suū, sic enim scriptura ait: Percussit autē cor Dauid eū, postquā numeratus est populus. Et dixit Dauid ad Dñm: Peccaui ualde in hoc facto, sed precor Domine ut trāsferas iniquitatem serui tui, quia stulte egi nimis. Hęc autem reuelationem postea Deus per Gad Prophetam exposuit, cū eum misit ad Dauidem, ut eligat ē tribus unum, quo peccatū illud puniat. Organon

non autem quo Deus peccati grauitatem reuelat est Lex. Et ne erremus in nomine legis, accipiemus p lege Decalogum, qui est summa & epitome totius legis, quemadmodū Christus ait: Hæc sunt lex & Prophetæ. Sic reuelauit Deus Niniuitis peccata eorū per legem, nempe, per prædicationē lonæ: adhuc quadraginta dies, & Niniue subuerteretur, ad quam prædicationem crediderunt Niniuitæ, & egerunt poenitētiam. Sic Petrus Acto. 2. Iudæis prædicat legem, cū ostendit eis, q̄ occidendo uerum Messiam grauissime peccauerint. Quibus auditis compuncti sunt corde, & agnouerūt peccata sua. Cū igitur prædicatur & explicatur lex seu Decalogus, aut pars aliqua decalogi, meminerimus Dominum Deum nostrum proponere nobis organon, quo Spiritus sanctus uelit in nobis operari primam partem Poenitentia, quæ est agnitio peccatorum, & ostendere nobis no

DE POENITENTIA

stram impuritatem, ac peccatorū grauitatem, quam non possumus naturaliratione comprehendere.

Possset quidem Deus alia ratione mentem & conscientiam impij aperire & peccata reuelare, quam per externam legis prædicationem: sed hoc est ordinarium & generale organon, quo patefacit & operatur peccatorū agnitionem. Peccata autem per legis prædicationē agnoscere, non hoc tantum modo fit, si publicus latro aut adulter agnoscat & confiteatur se latronem aut adulterum: sed est agnoscere, q̄ non possimus legi Dei nostris operibus perfecte satisfacere: et quamquam debeamus obedire legi, & bona opera facere, tamen hæc obedientia quia est imperfecta, & hæc opera quia sunt per se in conspectu Dei impura, non iustificent nos, neq̄ possint in iudicio Dei constare, adeo q̄ est idē agnoscere, quod Dauid confitetur dicens Psalmo 50. Tibi solum pecco, & malum

malū coram te facio. hoc est, quocūq;
respiciam, non inuenio nisi peccata. Si
ob oculos mihi posuero scelera aduer-
sus legem Dei perpetrata, manifestū
est ea peccata esse. Si autem bona ope-
ra commemorauero, inuenio in ipsis
quocq; peccata, imperfectiōes, adeoq;
impietates, propter quas non licet mi-
hi in his operibus gloriari, unde fit ut
quicquid agam, contra Deū peccem.
Aut em̄ legem Domini manifeste uio-
lo, aut legi non satisfacio. Cæterum
tibi hæc est peccatorum agnitio, ibi
agnoscitur etiam ira Dei & iudicium
condemnationis eius propter pecca-
ta. Quare agnoscere peccata, est ag-
noscere se non satisfacere legi Dei, &
se mereri iram Dei ac perpetuam cō-
demnationem. Quid autem opus est,
inquires, ad agnitionem peccatorum
cœlesti reuelatione, cum lex seu deca-
logus sit natura humanæ rationi in-
scriptus? Est quidem inscriptus natu-
ra in humanā rationem, sed quia hæc

DE POENITENTIA

Inscriptio est intantum obscurata per
 uitium originis, ut homo non possit
 peccati gravitatem cernere, et palpet
 sicut cæcus in meridie, ac nesciat quò
 se uertat, & quam uiam ambulet ad
 uitam. Idcirco Deus reuelauit iterũ
 decalogum publice magnis miracu-
 lis in monte Sinai, horrendo sonitu to-
 nitruum, micante fulgure & clangor-
 re buccinæ uehementius perstrepen-
 te. Quid autem necessariũ fuisset de-
 calogum tot ac tantis miraculis reue-
 lare ac instituire, si peccatorum gra-
 uitatem per naturalem rationem licu-
 isset agnoscere? Quare sentiamus le-
 gem seu decalogum ideo tantis mira-
 culis esse reuelatum, ut obscuratam
 uitio originis naturam & rationem il-
 lustret, quo peccati gravitatem agno-
 scat, & suam cecitatem sentiat. Vnde
 dicitur apud Dauidem Psalmo 18. Pre-
 ceptum Domini lucidum illuminans
 oculos. Est enim decalogus uelut lu-
 mē eorum qui uersantur in tenebris,
 ut

ut ostendat eis ueram et rectam uiam
ad uitam & foelicitatem. Sic Mose
Deut. 30. Testes, inquit, inuoco hodie
coelum et terram, quod proposuerim
uobis uitam & bonum, benedictio-
nem & maledictionem. Et Christus
ait Matthæi 19. Si uis ad uitam ingre-
di, serua mandata. Cæterum, quod
per hanc uiam nullus perueniat ad
ueram uitam, non fit uitio decalogi,
qui rectam uiam ostēdit, sed uitio ho-
minum, qui præ peccato suo non pos-
sunt hac uia incedere ad uitam, sed ne-
cesse habent aliam uiam ingredi, quæ
est per fidem in Christum. Exigit au-
tem Decalogus à nobis, ut opera que
præcipit, recte & perfecte faciamus.
Nam quæ in illo præcipiuntur, faci-
enda & opere implenda sunt. Non e-
nim datus & reuelatus est, ut tan-
tum audiatur, sed ut impleatur. Hæc
sunt, inquit Mose, præcepta quæ præ-
cepit DOMINVS Deus uester, ut
docerem uos, ut faciatis in terra, ad

DE POENITENTIA

quam transgredimini possidendam,
 ut timeas Dominum Deum tuum, et
 serues omnia statuta & praecepta eius,
 quae ego praecipio tibi. Et iterum:
 Discite ea & seruate, ut faciatis. Qui
 autem ea uere seruauerit, et iuxta sen-
 tentiam legis toto opere impleuerit,
 is habebit uitam & foelicitatem. Cuius
 studite, inquit Leuit. 18. statuta mea
 et iura, quae faciens homo uiuet in eis.
 Et Deut. 30. Proposui tibi benedictio-
 nem & maledictionem. Elige ergo
 uitam, ut & tu uiuas & semen tuum.
 Et ut probe de Decalogo sentias, exi-
 git non tantum externa opera, sed ad
 haec etiam perfectam hominis iustitiam.
 Nam lex spiritualis est, & requirit
 non solum opera extrinsecus sancta,
 sed etiam ipsam operatoris perso-
 nam sanctam, iustam, & ab omni-
 bus peccatorum sordibus puram ac
 mundam. Nos autem omnes sumus
 carnales, in peccatis concepti & nati,
 & sub peccatum uenditi, Quamquam
 enim

enim qui in Christum credunt, conse-
 quatur spiritum sanctum per fidem,
 tamen remanent adhuc in credente
 reliquiae carnis, quae faciunt, ut nec cre-
 dentium in Christum opera sint per-
 se sancta, nec legem Dei perfecte im-
 pleant. Quare lex hoc ius habet in o-
 mnes homines, quod condemnet eos
 & aeternis maledictionibus ac crucia-
 tibus ipsos tradat, quo iugo, quo onere,
 quid potest dici grauius, quid into-
 lerabilius? Sed bene habet, Iesus Chri-
 stus uenit in hunc mundum, & legem
 se subiecit, ac eam perfectissime im-
 pleuit, ut quotquot in ipsum crederent,
 ab hoc grauissimo legis onere
 per ipsum redimerentur, ut lex non
 amplius habeat ius eos maledicendi
 & damnandi. Nam lex requirit perfe-
 ctam iustitiam et sanctitatem. Qui au-
 tem credunt in Christum, his non im-
 putantur peccata, sed reputantur iu-
 sti & sancti propter Christum per fi-
 dem. Qui autem iusti reputantur &

DE P O E N I T E N T I A

sancti, hanc iam habent quod Lex requirit, iusticiam uidelicet, et sanctitatem. Habent autem illud non ex operum suorum meritis, sed per fidem propter Christum, qui de peccato condemnauit peccatum per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis: & qui est finis legis ad iustificationem omnium credenti. Itaque lex iam nullum habet ius damnandi eos, qui reputantur iusti propter Christum per fidem, & qui habent remissionem peccatorum in Christo Iesu Domino nostro.

Diximus Decalogum siue legem exigere à nobis non tantum externa opera, sed etiam perfectam iusticiam & sanctitatem. Non tamen illud ob hanc causam dicitur, ut significetur, quod nos possimus legem perfecte implere, & per iusticiam eius ad salutem peruenire (sic enim diuinarum rerum ignorantur nobis quid facere debeamus, & cum id neque perfecte faciamus, neque perfecte

perfectè facere possimus, lex in hunc
 usum cedit, ut ostendat peccatum no-
 strū, & peccati grauitatem, ac decla-
 ret iram Dei aduersum nos, ponatq̃
 nobis ob oculos maledictionē et dam-
 nationem nostrā, non quidem hoc cō-
 silio, ut nos in maledictione et damna-
 tiōe perpetuo maneamus, sed ut hac
 occasione adigamur ad inquirendam
 aliā ad salutem uia, q̃ per legem & iu-
 sticiam eius. Et si em̄ lex etiā posita est
 iniustis, ut contineat ipsos grauitate
 supplicij in honestate uite: et iustis, ut
 habeant elenchū operū, quę ex fide fa-
 cere debēt, tñ quia lex nuncq̃ perfectè
 impletur à nobis, huc præcipuè in con-
 sciētia nostra tendit, ut reuelet nobis
 peccatum, & indicet nobis turpitudi-
 nem nostram. Nam quemadmodum
 nemo potest uidere sordes quibus fa-
 cies eius illita est, nisi contempletur se
 ad speculum, ita natura omnes magis
 cęci sumus, q̃ ut nos ipsi possimus sor-
 des & neuos peccatorum nostrorū in-

*Legis seu De-
 calogi usum,*

DE POENITENTIA

facie cordis nostri uidere. Est igitur Lex nobis uice speculi proposita, ut exigentes ad hoc speculū faciem naturę nostrę, perspiciamus quanta moles peccatorum nobis adhæreat, & quantæ maledictioni obnoxij simus. Atq; hoc est quod Paulus ait: Per legem agnitio peccati. Ac iterum: Peccatum nō cognoui nisi per legem. Et mox: Repertum est mādatum, quod institutum erat ad uitam, mihi cedere ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per præceptum, decepit me, & per illud occidit. Si autem Lex occidit nos, quomodo possemus per legem & iusticiam eius ad salutem peruenire? Quare longe alia ad salutem uia est inquirenda, quàm per legem & iusticiam eius: Nempe Christus Iesus Dominus noster, qui præstat omnibus in se credentibus perfectam legis impletionem, sanctitatem & iusticiam.

Habemus præcipuum legis usum:
nempe

nempe, quòd lex siue Decalogus præcipuè in hunc usum datus sit, ut discamus ex eo peccati grauitatem & magnitudinem agnoscere. Cæterum, sunt & alij usus legis seu Decalogi. Primus, ut quod naturaliter homini insculptum est, habeat diuinum testimonium esse legem Dei. Deus enim insculpsit naturaliter humanæ menti noticiam sui, scilicet ut homo Deum cognoscat, & obediat Deo. Ad hoc enim est homo conditus, ut Deum inquirat, Deum cognoscat, & uoluntati Dei obsequatur. Hoc, inquam, naturaliter Deus insculpsit menti hominum. Sic enim Paulus ad Rom. quod de Deo, inquit, cognosci potest manifestum est in illis. Deus enim illis patefecit. Et iterum: Cùm gentes quæ legem non habent, natura quæ legis sunt fecerint, & legem non habentes, sibi ipsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, simul at testante illorum conscientia, & cogi

DE POENITENTIA

tationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus. Est igitur lex Dei illa noticia Dei inscripta mentibus hominum, cuius obscuracionem per uitium originis supra cōmemorauimus.

*Legis securus
et usus.*

Alius usus est, ut rudes habeant externę disciplinę rudimentum. De hoc usu loquitur Paulus ad Timotheum: Lex, inquit, iniustis posita est, hoc est, Deus uult etiam rudes & impios disciplina quadam coherceri, ne liberę in delicta corruant. Et ad hoc rudimentum ordinauit magistratus, legē, doctrinam, pœnas, calamitates humanas, &c. Huc pertinet etiã quod Paulus ad Galatas scribens: Lex est, inquit, pædagogus in Christum. Ingens autem laus est disciplinę, quod uocat eã pædagogiam in Christum, quia institutio, bona assuefactio & disciplinæ, inuitāt ad audiendum ac discendum Euangelium. Hęc itaq; laudes tam magnę nos incitare debent, ne hoc rudimentum & disciplinam aspernemur,
non

non ea opinione, ut per hæc remissionem peccatorum mereamur, sed ut per id ad Christum ducamur uerum peccatorum nostrorum expiatorem.

Tertius Decalogi siue legis usus est, ut agnoscamus quæ sint uerè bona opera diuinitus præcepta. In Decalogo em præcipiuntur uerè bona opera quæ præstanda sunt. Nam posteaq̄ Deo reconciliati sumus per fidem in Christum Iesum, necessario sequuntur opera quæ nobis præcipit Deus. Vt enim Sol nõ potest non lucere, et ignis non potest nõ calere: Ita fides in Christum post agnita peccata, non potest non bona opera facere, quæ etsi sua integritate nõ perfectè implent legem, tñ placent Deo, propterea q̄ persona operans Deo placeat propter Christum. Et ob id etiã iustificamur, ut noua et spirituali uita uiuamus, quæ est quædam obedientia erga Deum, iuxta illud: Dabo legem meam in uisceribus eorum. Et Paulus ad Ephes. ait: Ipsi

*Legis tertius
usus.*

DE POENITENTIA

opus sumus, conditi ad bona opera.

Habemus varios usus Decalogi. Potissimum autem ob eam causam datus est Decalogus, ut peccati grauitas agnoscat: per legem enim agnitio peccati. Lex enim ostendit peccata, accusat, perterrefacit et damnat conscientias, iuxta illud: Lex iram operatur. Item: Aculeus mortis peccatum, uirtus autem peccati lex.

Quare Decalogus semper tractandus & audiendus est, ut peccata nostra agnoscamus, & cum Dauide dicamus: Peccatum meum coram me est semper, ut cum ea etiam audiamus: Transtulit Dominus peccatum tuum. Nam quod cibus est corpori, hoc uerbum Dei est animæ. Anima autem multo imbecillior est corpore: est enim ita infecta peccato originis, ut nullo modo queat seipsam ad bona & sana coram Deo opera erigere. Cum autem corpus toties indiget cibo, quanto plus & frequentius anima indigebit suo

suo cibo? Si ergo cupimus peccata nobis reuelari, ut primam pœnitentiæ partem agnitionem scilicet peccatorum consequamur, necesse est ut frequenter tractemus & audiamus Decalogum, ut agnitis peccatis, inuitemur ad inquirendum uerum remissorem & expiatorem peccatorū, Dominum nostrum Iesum Christum, qui est unā cum Patre & Spiritu sancto laudandus Deus in secula, Amen.

HOMILIA QVINTA.

De prædicatione Euangelij.

RECENSUIMUS superiori cōcione prædicationem Decalogi siue legis esse organon cœleste; quo Spiritus sanctus operet̃ in nobis primam Pœnitentiæ partem, agnitionem scilicet peccatorū. Cum aut̃ ostenderimus tres partes esse pœnitentiæ, in qua tota salutis nostræ ratio pendet, uidelicet agnitionem peccatorum, fidem in Christum, & obe-

DE POENITENTIA

dientiam mandatorum Dei, necessa-
 rium erit ut etiam discamus unde se-
 cunda Pœnitentiæ pars discenda &
 petenda sit. Siquidem prima pars, ag-
 nitio uidelicet peccatorum, legitime
 ex prædicatione legis tantum discitur:
 lex enim peccata reuelat, & nobis no-
 stram impuritatem ostēdit. Vt igitur
 secundam Pœnitentiæ partem etiam
 percipiamus et assequamur, memine-
 rimus oportet eorum, quæ suprâ dixi-
 mus, ubi prædicationem uerbi Dei, in
 prædicationem legis & Euangelij di-
 uisimus: quarum altera prædicatio le-
 gis scilicet, ad id instituta est, ut Spiri-
 tus sanctus per diuinæ legis explica-
 tionem, ducat nos in agnitionem pec-
 catorum. Iuxta illud: Per legem agni-
 tio peccati. Altera uerò, Euangelij sci-
 licet prædicatio, ad hoc instituta est,
 ut per Euangelion Spiritus sanctus
 creet in nobis fidem, quæ est secunda
 pars Pœnitentiæ, siquidē fides ex aus-
 ditu est, auditus autem per uerbum
 Dei,

Dei, Rom. 10. & Rom. 1. Euangelion est potentia Dei ad salutem omni credenti. Quare cum prædicatur Euangelion de Iesu Christo, & explicatur, quod passus sit propter peccata nostra, et resurrexerit propter iustificationem nostri, sentiendum est, Deum tunc proponere nobis diuinum organon, quo spiritus sanctus in nobis operetur secundam partem Pœnitentiæ, quæ est fides in Iesum Christum, per quam iusti coram Deo reputamur.

Audiamus igitur nunc quam rationem habeat hoc organon, prædicatio uide licet Euangelij, quid sit Euangelion, et in quem præcipue usum cõducat. Ac principio Euangelion significat bonam, felicem ac faustam adnunciationem, cuius usus etiam in prophanis rebus esse potest, ut si alicui pauperi nunciatur ampla hæreditas contigisse, Euangelion, sed prophanum, est. Nam huiusmodi nuncio exhilaratur & refocillatur animus pauperis, quippe qui

*Euangelion
quid.*

DE POENITENTIA

iam ab omni paupertate liber sit futurus. Si quis in carcere captiuus tenetur, plectendus capite, & audit sibi uitam esse donatam, ac se mox liberum fore, is audit Euangelion, hoc est, gratissimum nuncium animo suo. Breuiter, quicquid iucundi, grati & læti, tristi & cupido animo adnunciatur, id potest Euangelij nomine explicari. Nos autem hinc prophanum huius nominis usum non tractabimus, Sed sanctissimi Euangelij Christi rationem inuestigabimus. Non enim Euangelion tale inquirimus, quod duntaxat ad temporariam læticiam adfert, sed quod nos gaudio æternum duraturo afficit, & quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, quemadmodum Paulus ait. Quid enim ad ueram salutem profuerit pauperi etiamsi amplissima hæreditate donetur? Quid capite plectendo profuerit uita donari mox alioqui per se peritura? Quid denique

abie

abiectionissimo omnium pastori profue-
 rit, etiam si à tugurio ad aulam, à pedo
 ad sceptrum, ab ouibus ad regnum et
 imperium huius seculi transferatur?
 Hæc enim omnia & alia id genus plu-
 rima, etsi carni gratissima & iucundis-
 sima sunt, tamen, amabo te, quæ pos-
 test harum rerum esse aut iucunditas
 aut utilitas, si quis, ut in peccatis con-
 ceptus & natus est, ita in peccatis eti-
 am maneat, remissionem nō habeat,
 sed sit iræ diuinæ obnoxius, Deo exo-
 sus, à Deo damnatus, & necesse habe-
 at uel tādē ita mori, ut per mortem
 ingrediatur in perpetuas tenebras,
 ubi est sempiternus horror & crucia-
 tus inexplicabilis? Non enim, si homi-
 num conditionem excutias, tam be-
 ne agitur cū humano genere, quā mul-
 titer spiritualium ignari autumant.
 Ac ignis inferni longe flagrantius ar-
 det, quā dici, & Satan multo crudelior
 est, quā pingi potest. Etenim, post quā
 Adam primus Patriarcha noster ad-

*Hominis con-
 ditio miserri-
 ma.*

DE POENITENTIA

uersus Deum peccauit, nō se solum,
 uerumetiam omnes ab ipso nascent-
 es, propter peccatum à Deo aliena-
 uit, & potestati Satanæ tradidit, adeo
 que effecit, ut propter ipsum pecca-
 tum et mors ad perpetuam condem-
 nationem in omnes homines propa-
 garentur. Sic enim Apostolus ad Ro-
 manos scribit: quemadmodum, inquit
 ens, propter unum hominem pecca-
 tum in mundum introiit, ac propter
 peccatum mors, et sic in omnes homi-
 nes mors perualit, quatenus omnes
 peccauimus. Vbi autem est peccatū,
 ibi est ira Dei: & ubi ex ira Dei mors
 est, ibi sempiternus est interitus.
 Quid igitur potest esse homine mise-
 rius, quid calamitosius? Quancūq; enim
 tantam miseriam & calamitatem nō
 semper re ipsa sentiamus, tamen si po-
 namus nobis ob oculos eos homines,
 in quibus Deus in hoc seculo reuelauit
 magnitudinem iræ suæ, & horro-
 rem ac grauitatē conspectus mortis,
 damna

damnationis & ignis inferni, nihil certe atrocius, nihil crudelius uidebitur. Aspice primum nostrum parentem, qui trepidet, qui fugiat, iam patrato peccato, ad uocem et conspectum Dei in paradiso. Aspice, obsecro, mihi lobem, sensu iræ diuinæ & iudicij mortis percultum. Ex uerbis enim eius haud obscure intelliges, quanti sint dolores eius, qui sentit iram Dei, & iudicium mortis. Pereat, inquit, dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est, conceptus est homo. Et mox: Quare non in uulua mortuus sum? aut quare egressus ex utero non statim perij? Et iterum cap. 7. Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea. Rursus eiulatum quoque Davidis de eadem re audi Psalmo 37. Sagittæ tuæ, inquit ille, infixæ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Huc accedit & Rex Hiskia:

*Ira Dei res
grauissima.*

Iob 30

DE POENITENTIA

Quasi leo, inquit, sic contriuit omnia ossa mea. Ex his, & alijs, quos sacra scriptura nobis proponit, ut cūq; animaduertere licet, ira Dei aduersus peccatum, & conspectu mortis nihil esse grauius, nihil intolerabilius. Fortassis autem magnitudo huius doloris aliquo modo ferri posset, si spes esset ullum hominem mox ad futurum, qui nos uel potentia uel sapientia sua liberaret & seruaret: aut opus aliqd tam sanctum esset, propter quod ira Dei mitigaretur. Tunc enim aut hominem illum beneficijs nobis conciliarem, ut nos seruaret, aut opus sanctum faceremus, ut Deum placaremus. Sed ecce ad priorem miseriam, etiam hoc accedit, quod omnes homines eidē malo obnoxij sunt, quo nos, & seipsos seruare non possunt. Nec ullum opus humanum tam iustum, & tam sanctum inueniri potest, propter cuius dignitatem ac meritum, ira Dei mitigetur. Itaq; quocunq; circum-

circūspiciamus, nullus auxiliij locus,
 nec in ullis hominibus, nec in ullis o-
 peribus nostris, relictus est. Quid igitur
 homini tantis horroribus concus-
 so gratius, quid iucundius, quid lati-
 us contingere posset, quàm si ueraci-
 bus uerbis, quibus tutò credere pos-
 set, adnunciaretur, ipsi Deum placat-
 um esse, remisiſſe peccatū, nolle con-
 demnare, sed uelle in media morte iu-
 uare, & ad perpetuā uitam seruare.
 Profecto talis nuncius ita recreabit i-
 psū, ut existimet se non solum è te-
 nebris ad lucem, uerum etiam è mor-
 te ad uitam, ex inferis ad cœlū emer-
 sisse. Porro autem prædicatio Euan-
 gelij de Iesu Christo adnunciat nobis
 Deum propter Christum filium su-
 um uerè esse placatum, & nolle pec-
 catum imputare, sed uelle uitam eter-
 nam gratis largiri his qui credunt in
 Christum. Proinde uerè & sanctū, de

*Euangelion
 uerum et san-
 ctum.*

DE POENITENTIA

Iesu Christo, quod ipse satisfecerit pro peccatis nostris, et placauerit Deum, ac impetrauerit, ut Deus his, qui credunt in ipsum, nulla prorsus peccata imputet, sed reputet eos tantum per fidem propter Christum, absque omnium bonorum operum merito, in conspectu suo, iustos, & donet ipsis gratuita clementia coelestem hereditatem. Atque hoc est Euangelion, sacrosancta illa adnunciatio, qua nobis omnia bona coelestia gratis et per misericordiam Dei Patris contigisse, modo in Christum credamus, proponuntur. Est quidem & alia quaedam praedicatio, quae uocatur praedicatio legis, de qua supra diximus, quae docet nos, quales esse debeamus, & quae facere, quae uero omittere oporteat, condemnans eos, qui non sunt tales, quales ipsa requirit. At haec praedicatio non pacificat, non tranquillam facit, sed turbat conscientiam, non laxificat eam, sed amarissima tristitia afficit, & ut Paulus ait, occidit. Requirit

Legis praedicatio ut ab Euangelio differat.

rit enim homines non tantum ciuili-
ter honestos, sed etiam spiritualiter
iustos, ac ita sanctos, ut nulla prorsus
peccati macula sordidati sint. Nos au-
tem sumus carnales sub peccatum ue-
nundati. Cū igitur audimus prædi-
cationem legis, magis audimus con-
demnationem & maledictionem no-
stram, quàm benedictionem & pacē.
De qua re in proxima homilia locuti
sumus. Prædicatio autem quæ adnun-
ciat Iesum Christum pro peccatis no-
stris satisfecisse, Deum placatū esse,
& nos iustos per fidem propter Chri-
stum reputari, ac gratis iustificari, ea-
dem prædicatio illa est, qua pacē,
tranquillitatem & foelicitatem conse-
quimur. Hæc igitur sola prædicatio,
uerum est illud ac sacrosanctum E-
uangelion, de quo in præsentia loqui-
mur, & per quod secundam pœniten-
tiæ partē, fidem scilicet in Iesum Chri-
stum, ac ueram & perpetuam salua-
tem accipimus.

DE POENITENTIA

*Euangelium
unicum tan-
tum.*

Cæterum, cùm nobis sermo sit hic tantum de Euangelio Iesu Christi, arbitror satis notum esse, unicum etiam tantum Euangelion esse. Sicut enim tantum unus est Deus, qui filium suum unigenitum in hunc mundum ad redimendum humanum genus misit, & unus tantum est Iesus Christus filius Dei, qui à Patre missus, propter peccata nostra traditus, & propter iustificationem nostri excitatus est. Et sicut unus tantum est Spiritus sanctus, quem Christus ad sanctificandũ, confirmandum & consolandũ corda credentium mittit: ita unum tantum est Euangelion & una prædicatio de Iesu Christo, quòd sit expiator peccatorum nostrorum, & placator Domini Dei nostri. Nec impedit quod plures Euangelia scripserint: omnes enim quotquot alij alijs aut pluribus aut paucioribus uerbis, hoc unum & idem scripserunt Euangelion. Nec putes hoc Euangelion

lion iam recens, dū in Iudæa Christus
 prædicaret, natum: nam prædicatum
 fuit iam inde ab initio mundi, Adamo
 primo nostro parenti, quando Gene-
 sis tertio dictum est ad serpentem: Se-
 men mulieris conteret caput tuum.
 Deinde prædicatum est Abrahamo,
 cū Genesis 22 audiit: In semine tuo
 benedicentur omnes gentes terræ.
 Hoc Euangelion prophetatum est et-
 tiam Dauidi, cū 2. Regum 7. dictū
 est ad ipsum: Suscitabo semen tuum
 post te, quod egredietur de utero
 tuo, & firmabo regnum eius, & stabi-
 liam thronum regni eius usq; in sem-
 pitemum. Hoc Euangelion omnes
 Prophetæ tractârunt et inculcârunt.
 Postq; uerò reuelatus est Iesus Chris-
 tus in carne, & misit Apostolos suos
 in orbem terrarum, prædicatio huius
 Euangelij sparsa est per Apostolos,
 tum uiua uoce, tum scriptis etiam in-
 ter omnes gentes. Vnde conciones
 Apostolorum, quas Lucas in Actis

DE POENITENTIA

Apostolicis conscripsit, & Epistolæ Pauli ac aliorum quorundam Apostolorum nihil aliud sunt, quod ad principalem statum earum attinet, quam huius Euangelij adnunciatio. Cæterum, illud quidem discriminis inter conciones Prophetarum & Apostolorum est, quod illi Iesum Christum paulò obscurius suo tempore adnunciârunt, & ueluti per transfennam ostenderunt. Hi autem pulsa omnium brarū caligine manifestissimè ipsum prædicârunt. Attamen quod ad ipsam Euangelij de Iesu Christo substãtiam attinet, nihil plane inter Prophetas et Apostolos interest. Quem enim illi uenturum promiserunt, eum hi uenisse testificati sunt.

*iustificandi
una uia.*

Adhæc, nec hoc sentiendum est, quod nos quidē iustificemur & seruemur per prædicationem huius Euangelij, Patriarchæ autem & Prophetæ ac alij, qui ante Christum natum fuerunt, iustificati & seruati sint per prædicationem

tionem legis, aut alias quasdam uias
ac rationes. Tantum enim una est uia
iustificandi, una tantum est ratio per
ueniendi ad salutem, unum solum est
ostium regni cœlorum, quod est Ie-
sus Christus Dominus noster. Neces-
se igitur est, quòd quicumq; uel olim
iustificati sunt, uel nunc iustificantur,
uel post iustificabuntur, propter so-
lum Iesum Christū gratis per fidem,
post agnita peccata, iusticiam habe-
ant. Et cūm fides sit, quemadmodum
Paulus ad Romanos ait: ex auditu, au-
ditus autem per uerbum Dei, seu E-
uangelion de Iesu Christo, facile con-
iūci potest, non eos tantum, qui hoc
tempore Euangelio de gratuita re-
missione peccatorum propter Chri-
stum fidem adhibent, sed etiam Ada-
mum, Abrahamum, Isaacum, Iose-
phum, Dauidem, breuiter, omnes Pa-
triarchas & Prophetas, pro Euangeli-
cis habendos esse. Hi enim nō solum
audierunt prædicationem Euangeliij

DE POENITENTIA

de Iesu Christo, quemadmodum antea ostendimus, sed etiam fidem ei adhibentes, iusticiam per illud propter Christum consecuti sunt. Quam rem unico, ceteris omissis, testimonio Pauli nunc confirmare sufficiat. Is autem ad Galatas scribens, ita ait: Præuidēs scriptura, quòd ex fide iustificat gentes Deus, præeuangelizauit Abraham, quòd benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fidei Abraham. Hæc uerba testantur Abrahamum non tantum Euangelion de Christo audisse, & fide excepisse, sed etiam incircuncisas gentes exemplo Abrahamæ per prædicationem Euāgelij, hoc est, per fidem propter Christum iustificari.

Habes igitur unum tantum Euangelion remissionis peccatorum seu iustificationis esse, & unam tantum ueræ salutis uiam patere, quam necesse habent ingredi, quotquot ueram salutem desiderant. Nunc quæ sit utilitas
&

& quis fructus sit prædicationis Euangelij de Iesu Christo audiamus. At quis utilitatem & fructum illius pro dignitate sua explicare posset? Nos, quod possumus, præstamus, & quamquam iam antè hanc rem nonnihil attingimus, tamen adiiciemus nunc pauca quidem illa. Primum, hoc Euangelion adnunciat gratuitam remissionem peccatorum propter Christum. Et quod per nulla opera quantumuis sancta, potuit parari, hoc per illud Euangelion & prædicationem eius parari potest. Vbi autem est remissio peccatorum, ibi est iusticia coram Deo, et beatitudo. Beati, inquit David Psalmo 31. quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus uir cui non imputabit Dominus peccatum. Hoc igitur Euangelion offert nobis ueram iusticiam & sanctitatem coram Deo. Deinde, quia ostendit Patrem nobis per Christum placatum esse, offert etiam nobis præ

Euangelij utilitas.

DE POENITENTIA

sentissimum remedium in omnibus aduersis. Vbi enim cognoscimus per fidem, quòd Deus gerat in nos patrum affectum, ibi Deum in aduersis ut Patrem inuocamus. Vbi autem Deus ut Pater inuocatur, ibi iuxta promissionem suam nequit sese continere, quin in omnibus aduersis filio suo opem ferat. Itaq; Euangelion ostendens nobis placatum Deum, ostendit etiam salutem in omnibus afflictionibus.

Est præterea hoc Euangelion, organon per quod datur nobis spiritus sanctus, ut uirtute eius reliquias carnis mortificemus, & in nouitate uitæ ambulemus. Breuiter hoc Euangelion potentia Dei est, quemadmodum Paulus ait Roma. 1. omni credenti ad salutem. Quid hoc Euangelio nobis utilius, quid magis salutiferum, quid deniq; magis necessarium contingere potuit? Quare, si uolumus secundam poenitentiae partem, quæ est fides

des in Iesum Christum, post primam partem, quæ est agnitio peccatorum, quam ex legis prædicatione concipimus, adsequi, & conseruare ad salutem nostram, necesse habemus prædicationem Euangelij de Iesu Christo frequenter tractare & audire, ut fidem ac beatitudinem consequamur, in Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto laudandus Deus in secula, Amen.

HOMILIA SEXTA.

De Baptismo.



Diximus prædicationem uerbi Dei, hoc est, prædicationem Legis & Euangelij, esse cœleste organon, quo Spiritus sanctus operetur, & conseruet in nobis partes Pœnitentiæ, agnitionem scilicet peccatorum, & fidem in Iesum Christum. Nam de tertia Pœnitentiæ parte, de obedientia scilicet fidei ac præceptorum Dei, postea suo loco

DE POENITENTIA

dicemus. Cū autem ostenderit
 totam salutis nostræ rationem in his
 Pœnitentiæ partibus constare, & spi-
 ritum sanctum esse per uerbum Dei
 efficacem in nobis, dubitabit fortasse
 quispiam, num sufficiat peccata agno-
 scere, et habere fidem in Christum, an
 uel aliquid amplius requiratur? Certè
 ad hæc quoq; requiritur, ut fides ip-
 sa confirmetur & constet. Per quid
 autem, inquires, cōfirmatur fides? Per
 Sacramenta, Baptismum scilicet, Cœ-
 nam Domini, absolutionem & oratio-
 nem. Audiemus igitur nūc, primū
 de Baptismo, quid sit Baptismus, &
 quam utilitatē nobis adferat. Baptis-
 mus enim sacramentum est Pœniten-
 tiæ. Bap̄isabat (inquit Marcus cap. 1.)
 Ioannes in deserto prædicans baptis-
 mū pœnitentiæ, in remissionem pecc-
 atorū. Et Petrus Actorū cap. 2.
 Delictorū, inquit, pœnitentiam agi-
 te, & baptisetur unusquisq; uestrum
 in nomine Iesu Christi, in remissionē
 pecca-

peccatorum. Principio autem obseruandum erit, nos hinc agere, non de aëni, quod dicitur, prospectu, non de rebus terrenis, non de comparandis opibus, non de recuperanda sanitate corporali: & quia nō tractabimus de his rebus, idcirco Epicureis & filiis huius seculi fastidiosa est concio de baptismo, & alijs rebus spiritualibus. His enim nihil placet, nisi quod exter narum rerum abundantiam, et huius mundi fœlicitatem spirat. His gratior est congius uini, quàm totum mare baptismi. Atq; hi à bestijs nihil differunt, nisi quòd bestiæ intereant unâ cum corpore: hi autem non quidem corpore intereunt, sed tamen perpetuam sustinebunt perditionem, ut haec quidem in parte bestiæ sint ipsis fœliciores. Tractabimus autem de rebus spiritualibus & cœlestibus, uidelicet, quomodo suscipiamur et adoptemur in filios & hæredes Dei, & conseruemur perpetuo in his cœlestibus bonis.

DE POENITENTIA

nis. Hæc sunt gratissima his qui se-
ctantur pietatem, & qui respiciunt in
aliud uenturum seculum. Quare non
est existimandum, quòd quia uidemus
pueros baptisari, baptismus sit res
puerilis et indigna quæ seriò inter gra-
ues & honestos uiros in concione Ec-
clesiæ tractet. Nam Baptismus, quem
admodum diximus, res est cœlestis
& diuina, cuius auctoritatem, quanta
sit, considerare possumus.

Principio, ex institutore eius pri-
mo, ac primo eius confirmatore, pri-
misq; eius publicis dispensatoribus.
Primus enim baptismi institutor est
non homo quispiam, sed Deus Pater
noster qui est in cœlis. Lucæ 3, ita scri-
bitur: Anno decimoquarto Tiberij
Cæsaris factum est uerbum Domini
super Ioannem Zacharię filium in de-
ferto, quo uerbo iussit Deus Ioannem
prædicare baptismum pœnitentię in
remissionem peccatorum: unde &
aliàs Ioannes dicit: qui misit me ut ba-
ptisarem

*Primus insti-
tutor Baptis-
mi est Deus.*

ptisarem aqua, is mihi dixit, super quē uideris spiritum descendētem ac manentem super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto, & ego uidi & testatus sum, hunc esse filium Dei. Primus ergo baptismi institutor est Deus ipse Pater noster in cœlis.

Hic etiam uides quis sit primus Baptismi minister, nimirum Ioannes ille Zachariæ filius, qui ob eam rem baptista uocatur, quod primus omnium baptismi minister fuerit. Ioannem autem testimonium habere à Christo, quod maior ipso non surrexerit inter natos mulierum, notius est, quam ut hic pluribus referri debeat.

Primus autem Baptismi confirmator est Christus filius Dei Dñs noster. Hic enim iussit discipulos suos baptizare, & post resurrectionē suā precepit eis, dicens: Ite, docete oēs gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spūs sancti. Ex hoc habes etiā quod primi fuerint baptismi dispensatores, nimirum

Primus Baptismi minister Ioannes.

Christus primus confirmator est Baptismi.

DE POENITENTIA

Apostoli, quos Christus in omnē terram emisit, Cū ergo & Deus omnipotens creator noster, & Ioannes Baptista homo longe omnium sanctissimus, & Christus Iesus redemptor noster, & Apostoli, quos Christus lucē mundi appellat, concurrant ad institutionem, confirmationem & usum baptismi, quis est, qui sentiret rem puerilem & indigniorem esse, quā ut de ea in Ecclesia tractaretur?

*Baptismus
succesit in locum
circumcisionis.*

Accedit huc, quod Baptismus successit in locum circumcisionis, & aboleuerit circumcisionem. Fuit autem circumcisio ceremonia omnium sanctissima, & præcepto grauissimo circumscrip̄ta. Masculus, inquit, cuius præpucij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Oportet igitur baptismum rem longe sanctiorem & magis cœlestem esse, quod circumcisiōem aboleuerit. Nec pueris tantum in pueritia utilis & necessaria

cessarius est baptismus, sed etiam ad
 ultis, qui in infantia baptisati sunt, ma-
 ximam affert utilitatem baptismi se-
 mel accepti recordatio, & ad salutem
 ipsorum necessarium est, rationem
 baptismi probè tenere, quemadmo-
 dum postea indicabimus. Quare ñs
 auribus & animis de baptismo audia-
 mus, quibus antea audiimus concio-
 nes de pœnitentia & prædicatione le-
 gis & Euāgelij. Est igitur Baptismus *Baptismus*
 Sacramentum seu diuinum signacu- *quid.*
 lum, quo Deus Pater per Christum
 filium suum, unà cum Spiritu sancto
 promittit ei, qui baptisatur, remissio-
 nem peccatorum, & adoptionem in
 filium Dei, ac hæreditatem bonorum
 cœlestium. Sic enim docentur pueri
 in Catechismo. Postq̃ enim Christus
 Iesus in terram missus est, reuelauit
 Deus orbi thesaurum misericordiæ
 suæ per Euangelion, quòd uelit pro-
 pter Christum, nō tantum externo se-
 mini Abrahæ & circuncisis, uerum eti-

DE POENITENTIA

am omnibus gentibus siue circuncis-
 sis, siue incircuncis propicius esse,
 peccata eorum remittere, & ipsos in
 filios & hæredes omnium cœlestium
 bonorum adoptare. Nam ante Chri-
 stum filij Dei eligebantur præcipue
 è semine Abrahamæ. Habebat Deus &
 suos quosdam electos inter gentes in-
 circuncisas, ut in Aegypto tempore
 Iosephi, in Ninive tempore Ionæ Pro-
 phetæ, in Monarchia Babylonis tem-
 pore deuastationis Hierusalē, in Mo-
 narchia Persica & Græcorum, tempo-
 re quo Iudæi inter omnes gentes di-
 spersi erant. Sed tamen Euāgelion de
 clementia Dei nondum publicè inter
 gentes prædicabatur; qui autem inter
 ipsos salutem consequabantur, hinc
 cesse habebant eam ut cūq; à Iudæis,
 ut ita dicam, suffurari. Postq; autē Chri-
 stus natus est et ascendit in cœlum, re-
 uelatum est Euāgelion omnibus gen-
 tibus, uidelicet q; Deus propter Chri-
 stum factus sit omnibus gentibus ita
 propicius,

propicius, ut remittat eis peccata, & adoptet eos in filios & hæredes diuinorum bonorum. Vnde Lucae ultimo dicit Christus: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere tertia die à mortuis, & prædicari sub nomine eius pœnitentiam ac remissionem peccatorũ in omnes gentes, initio facto ab Hierosolymis. Iam si natura nostra ita perfecta, nec peccato originis corrupta esset, ut nuda & simplicia uerba Euangelij apprehendere, & firmiter tenere possemus, nihil opus haberemus baptismo, aut alijs signaculis, sed sufficeret nobis ad pœnitentiam et salutem ipsa nuda Euangelij prædicatio. At ea est conditio nostræ naturæ, ut quæ nobis proponuntur nudis tantum uerbis, ea nec multum nos afficiant, nec probe comprehendantur à nobis. Consulit igitur Christus infirmitati naturæ, & noluit ut Euangelion nudè inter gentes prædicaretur, sed adiecit

DE P O E N I T E N T I A

signacula, ut Euangelion percipere-
 mus, non auribus tantum, sed etiam
 toto corpore & anima. Inter ea signa-
 cula, baptisimus primum omniū est,
 cuius aqua uelut atramentū Dei est,
 quo Deus in totum corpus nostrum,
 tanquām in librum, scribit Euangeli-
 on suum, quòd uelit esse propter Chri-
 stum propicius, & adoptare in filios
 Dei. Vt enim aures sentiunt sonum
 Euāgelij, ita corpus sentit aquam ba-
 ptismi, quibus omnibus rebus hoc uo-
 lum efficere uult Deus, ut certum fi-
 at, se esse propter Christum propici-
 um, remittere peccata, & nos adopta-
 re in filios Dei.

Exempla sume in humanis rebus,
 in quibus adijciuntur signacula nudis
 uerbis, quo ea quæ uerbis cōprehen-
 duntur fortius & firmiter inculcentur.
 In cōtractu uenditionis agrorum
 aut domorum satis esset, si uenditor
 nudis uerbis emptori diceret: Vendo
 tibi agrum aut domum, sed his simpli-
 cibus

cibus uerbis contractus nondum firmus uidetur, nisi uenditor exhibeat emptori signaculum, uidelicet, aut stramen aut sarmentum ligni (ut suus cuique mos est regioni) & dicat, ecce trado tibi agrum aut domum, &c. Stramen quidem per se est res nullius prope momenti, sed cum fuerit circumscriptum uerbo uenditoris: Trado tibi agrum, sic non est simplex stramen, sed tale, quo totus ager in potestatem traditur emptoris.

Sic satis esset, si Deus nudis uerbis promitteret nobis gratiam suam: at quia hoc nudis uerbis prolatum nondum uidetur serium, additur baptismus tanquam signaculum, quo contractus ille inter Deum & hominem firmetur. Ac baptismi quidem aqua per se res est minutula, sed uerbo Dei comprehensa, affert nobis clementiam Dei, remissionem peccatorum, adoptionem & hereditatem omnium caelestium bonorum.

DE POENITENTIA

In præstandis iuramentis satis esset, si quis diceret: Hoc sic uerum est per Deum. At quia posset existimari hunc sermonem non esse serium, exigitur signum, scilicet eleuatio digitorum ad cœlum, qua eleuatione cōfirmatur testimonium. Sic baptismus est ueluti eleuatio digitorū Dei, qua Deus confirmat promissionem Euangelij sui. In politicis familijs consuetudo fuit alienum adoptare in suum filium, quemadmodum habetur in institutis de adoptionibus. Hæc autem adoptio, quia firma & in hoc seculo perpetua esse debuit, non nudis tantum uerbis, sed etiam ceremonijs suis civilibus inchoata & initiata, ac confirmata fuit. Adoptio, inquit, fit principali rescripto, aut imperio magistratus. Hæc non sine conspicua pompa facta sunt, iam Deus adoptat omnes eos in filios suos, pro quibus Christus filius eius mortuus est, si modo ipsi hanc adoptionem non reiecerint. In-

stitutis

stituit igitur baptismum pro cęremo
 nia, aut cęlesti organo, quo adoptet
 eum, qui baptisatur in filium suum &
 cohęredem Christi. Atque hinc facile
 est etiam uidere, quod & pueri no-
 stri baptisandi sint. Vt enim diues qui
 sp̄tam potest adoptare filium paupe-
 ris adhuc infantem, & nondum intel-
 ligentem, ita & Deus infantes ado-
 ptat, quia Christus etiam pro infantibus
 mortuus est: & talium, inquit, est
 regnum cęlorum. Si autem potest
 eos adoptare in filios, cur non debe-
 rent baptisari?

Baptismus
 est adoptio.

Regum electio inter homines de-
 bet esse perpetua. Qui enim semel in
 regem electus est, semper manet rex
 quandiu uixerit. Quare electio re-
 gum facta est in lege Mosi nō uerbis
 tantum, sed etiam confirmata fuit cę-
 remonijs, uidelicet unctioe & tradi-
 tione libri legis in manum. Sic Saul,
 sic Dauid confirmati sunt. Deus au-
 tem credentes in Christum elegit in

DE POENITENTIA

reges regni cœlorum. Hanc igitur electionem non uoluit uerbis tantum Euangelij peragere, sed adiecit etiam ceremoniam baptismi, quo electio initiaretur & confirmaretur. Paulus ad Ephesios scribens cap. 5. iubet uiros diligere uxores suas, & addit: Sicut Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquæ per uerbum. Quibus uerbis significat Ecclesiam esse sponsam Christi, baptismum autem esse ceremoniam, qua Ecclesia initiatur, ac consecratur in uxorem Christi. Nam in coniugijs humanis, quia legitima cõiunctio uiri et mulieris debet esse firma & perpetua, matrimonium non iudicatur ualere nudis tantum uerbis, sed ut ualeat, necesse est ut accedant consensus, signa & ceremoniæ. Deus autem Pater tradit filio suo Ecclesiam, & unumquodq; membrum Ecclesiæ in sponsam & uxorem. Instituit ergo baptismum

ptifimum ut ceremoniam, quo matrimonium inter Christum & Ecclesiam initietur et consecretur. Hinc duo nobis præcipuè ueniunt obseruanda, alterum, quòd etiam pueri nostri baptifandi sint, quia sunt pars Ecclesiæ, & possunt esse membra Christi. In humanis quidem coniugijs obseruatur ætas definita. At in coniugio Christi & Ecclesiæ nullus est respectus ætatis, Deus non est acceptor personarum. Alterum, quòd tãtum semel baptifandi sumus. Nam baptifmus est initiatio & consecratio coniugij inter Christũ & membrum Ecclesiæ. Coniugium autem inter unum uirum & unam mulierem semel tantum consecratur, quæ consecratio perpetuo durat. Et si enim interdum coniuges dissideant, & ab inuicem separentur, tamen non est necesse ut iterum initientur, sed ut reconcilientur. Nam si necesse esset semper coniugia initiari, quoties coniuges inter se dissident,

DE POENITENTIA

Wer heb
ons Helfe
fergnug.

quis nobis satis daret initiatorum, aut
consecratorum? Sic etsi quispiam per
peccatum & incredulitatem à baptis-
mo fugiat, tamen non est necesse ut
iterum consecratur baptismo, sed tan-
tum ut reconcilletur cum Domino
suo. Paulus uocat baptismum organum
non quo sepelimur cum Christo, &
unà cum ipso resurgimus. Sepulti, in-
quiens Roma. 6. unà cum illo sumus
per Baptismum in mortem, ut quem
admodum excitatus est Christus ex
mortuis, &c. Christus autem sepelijt
secum peccatū & mortem, ac repor-
tauit secum ex sepulchro iusticiam &
uitam. Quare cum baptisatur quispi-
am, sentiendum est, ibi peragi magnā
sextam feriam & diem Paschæ, uideli-
cet, quòd hac cęremonia membrum
Christi incorporetur sepulturę & re-
surrectioni Christi, ut sepultū sit pec-
catum, regnet iusticia & uita in ipso:
unde & ad Titum cap. 3. uocatur ba-
ptismus lauacrum regenerationis &
renou-

renouationis. Si quis medicus com-
 mentis quibusdam reciperet se esse
 cturum, ut è sene fiat iuuenis, quanto
 desiderio hunc medicum sectareris,
 presertim si uno et altero exemplo ar-
 tem suam probasset. Ad hunc certè me-
 dicum fieret peregrinatio è toto orbe
 terrarum. Aut si quod balneum inue-
 niretur, quo senes fierent adolescen-
 tes, quanta esset eius balnei frequen-
 tia? At Baptismus tale est lauacrum.
 Nos enim omnes sumus senes quan-
 tumuis pueri: senes sumus malitia: u-
 nusquisq; tot est annorum, quot iam *Omnes sumus in pecca-
tis senes:*
 inde ab Adà fluxerunt, plusq; quinque
 millium, quia nos omnes afferimus in
 hunc mūdum ueterem Adæ naturā,
 & uetus illud peccatum. Quantū igi-
 tur ad peccatum attinet senes sumus
 & morti propinqui, etiam adhuc in-
 fantes. Baptismus autem aufert hanc
 uetustatem, & transfert nos in adole-
 scentiam perpetuo durantem. Tamet-
 si enim mors ueniat, tamen adhuc ui-

DE POENITENTIA

uimtis in Christo. Quare hoc lauacrū
 non est iudicandum secundum exter
 nam speciem, sed secundum uerbum
 Dei, quo nobis promittitur per ba
 ptismum remissio peccatorum. Israē
 litæ per mare rubrum transierunt, &
 effugerūt tyrannidem Pharaonis, ita
 nos per baptismum effugimus tyran
 nidem Satanae. In militia tessera datur
 militibus, qua inter se tuti sunt, & co
 gniti, ac uictis hostibus formidabiles.
 Tessera nostra est baptismus, quo tu
 ti sumus à Satana, & Satanae formida
 biles. Sicut angelus exterminator pe
 percit domibus sanguinè agni illitis,
 ita ubi uiderit baptismi signum, nihil
 dampni infert. Petrus facit baptismum
 similem arcae Noæ. In arca, inquit,
 Noë pauca, hoc est, octo anime serua
 tæ per aquam, cuius figuræ respen
 dens baptismus, nos quoq; saluos red
 dit. Hoc tantum nobis curandum, ut
 in arca baptismi maneamus, & non
 per incredulitatem, ac fructus eius in
 aquam

aquam exiliamus. Si Sem filius Noë non mansisset in arca, sed coniecisset se in undas diluuij, certè nõ fuisset seruatus, nisi redijisset ad arcam. Sic & nobis manendum est in baptismo semel suscepto. Quòd si uerò exciderimus per peccatum, reliquum est, ut cito ad arcam redeamus. Redibimus autem per pœnitentiam, uidelicet, ut agnitis peccatis credamus nos per Christum in filios Dei adoptatos, & confirmemus hanc fidem per baptismum. Nam fides res tenera est & imbecillis, ac facilè excutitur, ut dubitemus de uoluntate Dei erga nos. Ex his nunc facilè dijudicari potest, quid utilitatis afferat baptismus semel acceptus, & postea frequens baptismi recordatio. Nam cùm sit signaculum Euangelij, consentaneum est, quod plañe eam utilitatem conferat, quam affert Euangelion. Per Euangelion autem adfertur nobis propicius Deus, remissio peccatorum, filiatio Dei, &

DE POENITENTIA

hæreditas omnium cœlestium bonorum. Quare eadem bona per baptismum confirmantur in nobis & certificantur. Ac prodest recordatio baptismi ad omnes partes poenitentiae. Primum enim ducit nos in agnitionem peccatorum, quia in baptismo mergimur, aut suffundimur. Hoc significat immersionem peccatorum nostrorum. Non mergerentur autem peccata, nisi occulta in nobis natura ipsa inhaerent. Deinde prodest ad confirmationem fidei, quæ est secunda pars poenitentiae. Et huc potissimum confert, quia est signaculum Euangelij: Vnde si tentamur de damnatione nostra, de abiectione, ad baptismi recordationem recurrendum est, ut confirmemus nostram conscientiam ex fœdere, quod in baptismo Deus nobiscum iniit.

Postremo, prodest etiam ad tertiam partem poenitentiae, quia admonet nos esse ablutos à peccatis, quomodo igitur uiueremus in peccatis? Admonet

net nos esse filios Dei, quomodo er-
 go gereremus nos, ut filij Satanae? Ad
 monet nos esse haeredes bonorum
 caelestium, cur ergo ita vitam ducere
 mus, quasi essemus haeredes inferni?
 Sed de utilitatibus baptismi satis. Nunc
 ad finem etiam hoc de infantibus ad-
 iiciemus, nempe, cur infantes bapti-
 sentur, cum tamen nondum agnos-
 cant utilitatem baptismi, nec possint
 baptismo in infantia ad partes poenit-
 entiae uti. Sed facile de hac re respon-
 debitur, si intellexerimus quid sit ba-
 ptismus. Diximus autem baptismum
 esse Sacramentum seu signaculum
 Evangelij, quo Deus promittit se ei,
 qui baptisatur, remittere peccata,
 &c. Nunc infantes habent peccata à
 parentibus, indigent remissione pec-
 catorum, & uita aeterna, indigent igitur
 etiam baptismo. Quanquam enim
 ipsi nondum intelligant ratio-
 nem Baptismi, Deus tamen qui pro-
 mittit, intelligit: & hi qui infantes ad

*infantes cur
 baptiscentur.*

DE POENITENTIA

baptismum offerūt, intelligunt, quod ad hanc rem satis est. Putas autem infantibus nihil dandum, nisi quod intelligant? Ergo neque cibum, neque potum eis dabis, quia nec ista intelligūt. In ciuilibus rebus, si cui infanti contingit hæreditas, si cui infanti uenditur ager, & contractus confirmatur publicis literis & sigillis, num ideo nec hæreditas, nec ager ad infantem pertinebit, quia non intelligit? Nequaquam. Sic & Christus infantium Christus est, qui & promisit ipsis regnum cælorum. Quare literæ & sigilla huius promissionis, quæ sunt baptismus, non sunt infantibus deneganda. Et si enim nunc non intelligant, tamen ad salutem ipsorum necessarium est, ut baptisentur, & intelligant suo tempore. Hæc de baptismo infantium breuibus dicere uolui, ut eorum recordaremur quæ aliàs copiosè disseruimus.

Ergo diligenter reuocandus est in memoriã baptismus (propter quam etiam

etiam causam in frequenti Ecclesia
 baptisatur, ut unusquisque ex hoc spe-
 ctaculo etiam sui baptismi admonea-
 tur) & confirmanda est fides, quòd
 Deus reuertentes nos recipiat & ag-
 noscat filios suos. Etsi enim nos recess-
 simus, ipse tamen mansit firmus & fi-
 delis, ac quod est in parabola filij per-
 ditionis, hoc idem erga nos præsta-
 bit, si resipuerimus, ut semper cum i-
 pso regnemus in Christo Iesu Domi-
 no nostro, qui est unà cum Patre &
 Spiritu sancto laudandus Deus in se-
 cula, Amen.

HOMILIA SEPTIMA.

De Cœna Domini.



DE baptismo & utilitate
 eius satis suprâ disserui-
 mus, uidelicet, bap-
 tismum esse diuinum signa-
 culum, quo adoptamur
 in filios Dei & hæredes omnium cœ-
 lestium bonorum. Et baptismum uti-
 lem esse ad omnes partes pœnitentiæ.

DE POENITENTIA

Spiritum sanctum enim operari per baptismum in nobis agnitionem peccatorum, fidem in Christum, & obedientiam fidei. Adiecit etiam pauca de infantium baptismo, quòd & infantibus baptismus necessarius sit, ut habeant per ipsum remissionem peccatorum.

Reliquum est, ut de cœna Domini & de absolutione, quam uocant, dicamus. Est autem eo diligentius ratio cœnæ Dominicæ obseruanda, quia multi sint hoc tempore qui cœnâ Dominicam extremo contemptu fastidiant. Alij enim dicunt, se nolle cœnam Domini sumere, quia non sit necessaria. Alij reiiciunt cœnam Domini, quia dicunt se non uidere, quis ex ipsa resipiscat, hoc est, sentiunt eam inutilem esse. Alij palàm fatentur, se nondum affectu resipiscendi à pristinis suis sceleribus tangi, quare se nolle communicare cœnæ Dominicæ. Ut hi commode coarguantur, uidendum est de cœna

*Cœnæ Domini
contemptores.*

coena Dominica, Primum à quo instituta sit. Deinde quid sit. Postremo quam utilitatem & necessitatem habeat. Est autem coena Dominica instituta non per Patriarcham quempiam, sicut circumcisio, non per angelum quempiam, sicut Lex, non per simplicem aliquem Prophetam, non per Apostolum quendam, sed per ipsum filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum. Et eo potissimum tempore instituta est, quo Christus iam sanctissimae suae passioni uicinus erat, ac probe sciebat sibi mox crudelissimam mortem imminere. Quis autem existimare posset Christum instituisse rem aliquam inutilem & minime necessariam? Num Christus de caelis descendit ut doceret nos res uanas & inutiles? Praesertim eo tempore quo res maxime omnium necessariae conficiuntur? Qui enim sentiunt sibi mortem imminere, hi si sanae mentis fuerint, de rebus suis maximis &

Coena institutio.

DE POENITENTIA

grauissimis disponere, ac testamenta
 etiamnum institueresolent. Cùm igitur
 Christus eo tempore, quo sciuit
 crucis mortem sibi adesse, instituerit
 Cœnam Dominicam cum discipulis
 suis, & iusserit eam in memoriam sui
 celebrare, manifestum est, cœnã Do-
 minicam esse Ecclesiæ rem ualde ne-
 cessariam & utilem. Vide ergo quan-
 tum hi peccent qui fastidiunt cœnam
 Domini, eo quòd iudicant ipsam esse
 inutilem & nõ necessariam, nimirum
 quantum in ipsis est, iudicant Christũ
 eo tempore, quo redemptionem nos-
 trã implere passione sua inchoauit,
 aut uino obrutũ, aut insanum, qui ne-
 scierit, quid aut dicat, aut faciat. Et
 hoc probro Christus afficitur à suis
 Christianis. Quid igit dicemus? Exe-
 cramur Judam proditorem & Iudæ-
 os Christi homicidas. Sed quid existi-
 mas? num ab his contumeliosis homi-
 nibus Christus impunis euaderet, si
 adhuc in terris uersaretur, cùm non
 possit

possit ab ipsis tutus esse iam in cœlo
 summa maiestate regnās? Cæterum
 ne quis putet Christum cœnam Do-
 minicam solis duodecim instituisse, et
 non toti Ecclesiæ tradidisse, audien-
 dus est Paulus ad Corinthios cap. II.
 ita scribens: Ego accepi à Domino,
 quod & tradidi uobis, q̄ Iesus Chri-
 stus in ea nocte qua traditus est, acce-
 pit panem, &c. & hoc facite in me-
 commemorationem. Et addit Pau-
 lus: Quotiescunq; comederitis panē
 hunc, & de poculo biberitis, mortem
 Domini annunciabitis donec ueniat.
 Tradidi, inquit, uobis cœnam Domi-
 nicam, unde acceptam; num de meo
 figmento? nequaquam, sed accepi à
 Domino, qui & sic ordinauit, ut cœ-
 na illa obseruetur adnūciatione mor-
 tis suæ, usq; ad secundum eius aduen-
 tum, quo in maiestate uenturus est.
 Quare non tantum duodecim Apo-
 stolis, sed toti Ecclesiæ instituta & us-
 tenda proposita est, & hæc de institu-

DE POENITENTIA

tionē. Vnde contemptores facile iudicare possunt quā̄m grauitē in maiestatem Christi peccent.

*Cœna Domini
quid.*

Videamus nunc quid sit cœna Domini, de hac re consulendi sunt nobis pueri. Hos enim in publica Ecclesia ita recitantes audimus: Cœna Domini est diuinum signaculum, quo Christus uerē & præsentialiter nobis offert corpus & sanguinem suum, ut certificet nos de remissione peccatorum & uita æterna. Postquā̄m enim baptisati sumus, & per baptismum adoptati in filios & hæredes Dei, sentimus adhuc peccatum & mortem, nonnunquā̄m etiam in externa eaq̄ atrocia peccata incidimus. Incipimus igitur dubitare, num peccata nobis remissa sint, & habeamus uitam æternam propter Christum. Quare ut Christus hęc dubitationem nobis eximeret, & salutis nostræ consuleret, instituit cœnam Dominicam, per quam haberemus quotidianum remedium aduersus

aduersus dubitationem & imbecillitatem conscientiae nostrae. Ac longe aliud est Sacramentum coenae Domini quam baptismi sacramentum. Baptismus enim institutus est, ut semel tantum accipiatur in signaculum adoptionis. Coena autem Dominica instituta est, ut frequenter accipiatur in signaculum remissionis peccatorum & uitae aeternae. Quemadmodum enim in rebus civilibus puer semel tantum in hunc mundum nascitur, aut ab alio parente adoptatur in filium, postea autem si ob praearicationem expellatur e domo paterna, aut adoptiua, non indiget noua generatione, sed tantum reconciliatione. Et nisi reconciliatus fuerit, semper timet ne exheredetur. Ita in rebus Ecclesiasticis natus homo, non indiget ad vitam aeternam, nisi una regeneratione & adoptione. Quod si uero per peccatum mens cruciatur, ut timeat ne exheredetur, & abijciatur in extremas tenebras,

Discrimen Ba-
ptismi & coe-
nae Domini
ca. 22

DE POENITENTIA

hîc iam non est opus noua regenera-
 tione per baptismum, sed opus est re-
 concillatione & confirmatione fidei.
 Instituit ergo Christus cœnam Domi-
 nicam, ut quoties per peccatū ad dus-
 bitationem & desperationem sollici-
 tamur, sumamus cœnam Dominicā,
 et confirmemus conscientiam nostrā
 in fide, ut ea confirmati in obedientia
 Dei ambulemus & perseueremus.
 Sed clarissime omnium ostendit Chri-
 stus uno uerbo quid sit cœna Domi-
 nica. Dicit enim, hoc poculum nouū
 testamentum est in meo sanguine. Po-
 culum sanguinis sui uocat nouum te-
 stamentum, erat enim Christus mori-
 turus. Quare instituit etiam testamen-
 tum, quo legaret bona amicis suis, &
 distribueret ea. Quæ autem sunt bon-
 na Christi? Num diuitiæ terrenæ: sed
 tã pauper fuit, ut nullas habuerit pro-
 prias facultates ex quibus uiueret.
 Num regna huius seculi? Sed non ha-
 buit ubi reclinaret caput suum. Num
 preciosa

*Cœna Domi-
 nica testamen-
 tum dicitur.*

preciosa supellex? Sed quam tunicā habuit, eam paulò post milites inter se diuiserūt. Nec nobis aliquid magni contulisset, etiamsi bona terrena nobis testamento suo legasset. Nihil rerum terrenarū nobis satisfacit, ut uides in omnibus hominibus, &c. Legauit igitur nobis Christus quod habuit, et quod nobis maximè omnium necessarium et utile fuit. Habuit corpus & sanguinem, ea legauit nobis in pane & uino. Porro corpus Christi & sanguis eius non sunt ita cōsideranda ut nostra corpora & sanguis. Nos em̄ in his nihil nisi peccatum, mortem, & infernum gestamus. Christus autem gestat in corpore suo uitam, & in sanguine suo remissionem peccatorum, & hæreditatem omnium bonorum celestium. Quare cū in cœna Domini legauit nobis corpus & sanguinem suum, sentiamus ipsum nobis legasse & distribuere remissionē peccatorum & uitam æternam. Hæc

DE POENITENTIA

em sola sunt, quę possunt nobis satisfacere: Et hoc etiã significat uerba ipsa coenę Dñicę: Hoc est corpus meum quod pro uobis tradit, scilicet, ut uos uitã habeatis. Et hic est sanguis meus qui pro uobis effundit, ob quam causam? Sequitur: in remissionem peccatorum, &c. Est igitur coena Dominica Sacramentum, quo Christus tanquã testamento legauit, & diuidit corpus suũ & sanguinem, & in his remissionẽ peccatorũ & uitam æternã.

Quod corpus
 eius & san-
 guis in coena
 Domini sint
 aerẽ.

Ceterũ cum docetur Christum nobis dare corpus suum pane, & sanguinem suum uino, apparet humane rationi ualde absurdũ, et non tam admirabile quã impossibile, quod humanum corpus tam paruo organo contineri & distribui debeat, & simul se deat in uno loco mensę, distribuatur tamẽ singulis discipulis. Similiter nõc sit in celo, & tamẽ dispensetur in singulos, qui coenam Domini iuxta uerbum Christi obseruatam sumunt. Sed nobis

nobis obseruandum, primùm, quòd non debeamus de hoc sacramento iudicare secundum humanam rationem, sed secundum uerbum Christi. Is enim dixit: Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus, &c. qui creauit cœlum & terram, & in cuius ore nunquam dolus inuentus est. Deinde si probè consideremus præcipuum articulum religionis nostræ de incarnatione filij Dei, non difficile erit etiam de hoc sacramento rectam sententiam cognoscere. Ioannes enim dicit capite primo: Verbum caro factum est, hoc est, filius Dei assumpsit hominem in unitate personæ. Si autem Deus & homo una est persona, necessario consequitur, quòd homo iste, qui in unitate cum DEO assumptus est, non separetur à DEO. Nemo autem negat Christum in cœna sua esse iuxta diuinitatem, qua omnia implet. Manifestum igitur est, quòd etiam adsit in cœna humanitate, hoc est,

DE POENITENTIA

corpore & sanguine suo. Sed hic obstrepit quispiam, Christus filius Dei assumpsit hominem, & corpus humanis imbecillitatibus affectū, inter humanas autem imbecillitates etiā hæc una est, q̄ unum corpus non possit simul esse in duobus locis, in loco q̄ sedet, & in pane: item in cœna & in cœlo, &c. Respondeo. Verum quidem est, Christum assumpsisse corpus naturale, naturalibus infirmitatibus seu conditionibus affectum (absq̄ tamen peccato) sed primum, corā Deo loca nō sunt ita diversa, ut corā hominibus. Deinde etiā si corpus Christi cum adhuc degeret in hac terra, fuerit affectum naturalibus conditionibus, tamē quia fuit corpus filij Dei, potuit Deus ornare hoc corpus etiā supernaturalibus conditionibus, id quod in Christi corpore multis modis præstitum est. Corpus enim hominis naturaliter habet hanc conditionem, ut nō possit uiuum permanere ad

ad summum undecim diebus sine cibo et potu. Corpus tamē Christi man-
sit uiuum quadraginta diebus & no-
ctibus absq̄ cibo. Ad hæc corpus ho-
minis naturaliter est graue, & non po-
test pedibus consistere super aqua.
Christus tamen ambulauit corpore
suo super mare, & non est demersus.
Præterea corpus hominis naturaliter
est uisibile. Ioan. tamen octauo capi-
te, Iesus abscondit se ne uideretur à lu-
dæis. Deinde corpus hominis natura-
liter non potest resurgere à mortuis,
nec ascendere sursum in cœlum. Cor-
pus tamen Christi resurrexit à mor-
tuis, & ascendit sursum in altū uiden-
tibus discipulis. Et multa alia sunt
quæ supernaturaliter gesta sunt in
corpore Christi. Quare non est miræ,
q̄ & in cœna Domini corpus Christi
habeat cōditionem supernaturalem,
et distribuatur uerè ac præsentè iux-
ta uerbum Christi. Et hæc sunt senti-
enda de substantia cœnæ Dominicæ.

DE POENITENTIA

Quod si alicubi aliter docetur, male
 & contra scripturam, ac contra sen-
 sum Christi, docetur. Habemus quid
 sit coena Dominica, & quod uere &
 p̄senter in ea corpus & sanguis Chri-
 sti distribuatur. Nunc audiamus ad
 quid necessaria & utilis sit. Ac nihil ef-
 set nobis necessaria, si aut angeli esse-
 mus ἀναμάρτητοι, aut post baptismum
 non laberemur in aliqua peccata, nec
 haberemus intra nos ullam dubitatio-
 nem de promissionibus diuinis. Sed
 res ita se habet, Sumus natura in pecc-
 catis concepti & nati, & quanquam
 in baptismo adoptamur in filios Dei,
 tamen adhuc sentimus peccatum &
 mortem. Adhæc Satan aduersarius
 noster circuit sicut leo rugiens, quaerens
 quem deuoret, & sollicitat nos
 semper ad desperationem & contem-
 ptum Dei. Cùm igitur Christus insti-
 tuerit coenam Dominicam ad meden-
 dum nostræ imbecillitati et dubitatio-
 ni, ideo necessaria nobis est coena Do-
 minica.

HOMILIA VII

minica. Nam quemadmodum non indigemus medicina, si ex omni parte sani sumus: Non egent, inquit Christus, sani medico, Sed quia variae sunt hominum infirmitates, ideo etiam varia genera medicinarum necessaria sunt. Ita si ab omnibus peccatis tam sensu quam fide liberi essemus, non indigeremus coena Domini. Sed peccatum adhuc haeret in carne nostra, & habemus uacillantem fidem, praesertim in afflictionibus. Quare necessaria est coena Domini. Ac praecipue necessaria ad conseruandam fidem in sufferendis afflictionibus. Enumeremus ergo alios *Afflictiones* *fide tentantes* quot genera afflictionum, ut uideamus quomodo tentemur in fide, ut et hinc indicemus necessitatem et utilitatem coenae Dominicae. *Paupertas* Paupertas est, ea ita solet hominem tentare: Tu es pauper, ergo Deus non respicit te. Quare? quia multum peccasti. Quod si peccatis obijcias baptismum, te fuisse in baptismo adoptatum in filium,

DE POENITENTIA

tūc iterum oriuntur alię tentationes. Sed, inquit, peccasti post Baptismū, ideo reiecit te Deus, & uult te exheredare, cuius rei argumētum est paupertas. Si enim Deus esset tibi propicius, non sineret te tam graui onere paupertatis premi. Hīc iam dubitat cōscientia de fauore Dei. Ergo ut dubitatio eximatur & fides confirmetur, Cœna Dominica opus est, in qua exhibetur nobis certa peccatorū remissio, non uerbis tantum, sed etiam Sacramentis. Aliud genus afflictionis est morbus aut dolor agritudinum, in eo morbo Satan ita tentat: Tu grauisimo laboras morbo, quare Deus irascitur tibi, & irascitur tibi propter peccata tua, unde et reiecit te, alioquinō permitteret, ut dolor subinde magis ac magis ingrauesceret. Hīc iam palpitans mens, & dubitat de gratia Dei. Cœna ergo Dominica necessaria est, ad confirmationem fidei.

Est & mors ipsa afflictio longe
omnium

omnium grauissima. In hac potissimū
 tentatur cōscientia de fide, obijciun-
 tur peccata, exaggeratur iudicium di-
 uinum. Necessaria ergò est cœna Do-
 minica, ut in ea manifestè uideamus
 ac gustemus etiamnum gratiam Dei.
 Nunc uide mihi quid illud sit, q̄ multi
 fastidiant cœnam Dominicam, quia
 putant non necessariam & utilem, ac
 palàm fatentur, se sumpta Cœna nul-
 lam resipiscētiam nec in se nec in alijs
 sentire. Præterea non uerentur publi-
 cè affirmare se nec in decē annis sum-
 plisse cœnam Dominicam. Hoc faten-
 tur illi sine fronte tempore Euangelij
 reuelati, quod si factum fuisset sub Pa-
 patu, habiti fuissent pro Ethnicis &
 Turcis, ac indigni, qui ad honestas
 functiones ciuiles adhiberentur. Con-
 temnere enim sacramentum, & tot
 annis ex contemptu non sumere cœ-
 nam Dominicā, quid aliud est, quàm
 in impietate & peccatis absorptum
 esse? Sicut is in morbi dolore planè

DE POENITENTIA

absorptus est, qui prorsus nullam habet rationem medicinæ. In impietate autem absorptum esse, quid potest esse perniciosius? Amabo te, memineris saltem te et animam habere & moriturum esse, & uitam esse post hanc uitam. Num ita in impietate morieris? Quid autem de illis dicam, qui adiunt, se nullam resipiscenciam ab alijs sumpta hac Coena uidere? Quid? tu ne omnes homines nosti? Tu ne es scrutator cordium? Vide quantum pecces, Arrogas tibi diuinam maiestatem, & prodis interim te ipsum. Nam quia tu non resipiscis, iudicas nullos plane homines resipiscere. Ergo cum te uis excusare, hoc ipso accusas & prodis tuam impietatem. Cum igitur nunc detur tibi spacium poenitentia, age resipiscas, & discas ueram rationem coenæ Dominicæ, ut & sumas eam, & fidem confirmes, ac salutem consequaris in Christo Iesu Domino nostro, qui est unâ cum Patre & Spiritu

HOMILIA VIII. 98

ritu sancto laudandus Deus in secula,
Amen.

HOMILIA OCTAVA.

De preparatione ad cœnam

Dominicam.



UPERIORI Homilia de
cœna Dominica & eius
utilitate diximus, uideli-
cet, quòd Christus uni-

cus Dei filius, iam instante sanctissi-
ma passione sua, cœnam Dominicam,
ut rem nobis summe necessariam, in-
stituerit. Deinde, quòd cœna Domi-
ni sit diuinum signaculum, quo Chri-
stus uerè & præsenter nobis offerat
corpus & sanguinem suum, ut certi-
ficet nos de remissione peccatorum
& uita æterna. Et quòd baptisati, ad-
huc peccata in nobis sentiamus unã
cum morte. Quandoq; etiam in ma-
nifesta peccata incidamus, quo fit, ut
de remissione peccatorum incipia-
mus saepe dubitare. Hinc ut Christus
nostræ salutis consulere, & hanc è no-

DE PŒNITENTIA

bis dubitationē eximeret, instituit cœnam Dominicam, per quam habere-
 mus quotidianum remedium aduer-
 sus eiusmodi dubitationem et infirmi-
 tatem conscientiaē nostræ. Reliquum
 est, ut etiam dicamus quomodo nos
 debeamus præparare ad sumendam
 cœnam Dominicam. Hoc etenim o-
 pus, hic labor erit, rectè providere, ne
 pro antidoto sumamus uenenum, ne
 pro uitæ remedio mortē accipiamus.
 Dicit enim Paulus: Probet autem se
 ipsum homo, & sic de pane isto edat
 ac de calice bibat. Et addit: Quisquis
 ederit panem hunc, aut biberit de po-
 culo Domini indignè, reus erit corpo-
 ris & sanguinis Domini. Ac mox:
 Nam qui edit & bibit indignè, iudiciū
 sibi ipsi edit & bibit, non dñjudicans
 corpus Domini. Ac propter indignā
 manducationem publica mortalitas
 grassata est in Corinthios. Propter
 hoc (inquit) multi inter uos imbecilla
 les & inualidi, & multi dormiunt.
 Quare

Quare magna dāda est opera, ut nos ad sumendam cœnam Dominicam rectè præparemus. Nam qui se præparare nescit ad sumendam cœnam Domini, is non potest se præparare ad percipiendum cœlum, quia in cœna Domini distribuuntur bona cœlestia; Cùm igitur ante reuelationem Euangelij huius temporis, Ecclesia institueretur de præparatione ad cœnam Dominicam, proponebantur ei plerumque tres partes præparationis. Prima contritio, Secunda confessio, Tertia satisfactio. Hæc autem non sunt quidem per se malè dicta, sed quia fuerunt tum malè intellecta, tum malè exposita, magnum damnum Ecclesiæ dederunt. Nos igitur iisdem uerbis utemur, sed exponemus ea iuxta sententiam scripturæ, ut ex his discamus, quomodo rectè nos ad cœnam Dominicam præparemus. Cœna enim Dominica non instituta est impœnitentibus. Hi enim non pertinent ad corpus Chri-

DE POENITENTIA

*Impœnitētes
non pertinet
ad cœnam
Domicam.*

sti, ac sunt ueluti mortui, mortuis autem non cōuenit cibus. Nam & cœna Domini animæ cibus est. Vnde maiores nostri publicis denunciationibus re-
pulerunt à cœna Domini impœnitētes & publicè flagitiosos. Sed instituta est poenitentibus, his uidelicet, qui cupiunt liberari à peccatis, & iusticiæ seruire, ac cœlestem beatitudinem habere. Ergo qui se ad agendam poenitentiam præparat, is præparat se etiam ad sumēdam cœnam Dñicam.

Contritio.

Pœnitentiā igitur acturi, Primum omnium debent habere cōtritionem peccatorum, nō uidelicet hac opinione, ut sentiant contritionem tanti meriti esse, ut expiet peccata. Esau, quē admodum Gene. 27. scribitur, habuit contritionem, sed non est consecutus ueniam peccatorum. Similiter Iudas magnam habuit cōtritionem, sed nullam peccati ueniam consecutus est. Quare non est sentiendum, quòd dolor contritionis satisfaciat pro peccatis,

tis, sed requiritur contritio, ut hac ratione discamus grauitatem peccatorum nostrorum, et intelligamus miseriam nostram, ac cognoscamus quod necessarius sit nobis Christus. Existimamus enim nostram naturam tam integram, tamque perfectam esse, ut possimus nostra sponte & uoluntate salutem consequi, nec Christum nobis necessarium esse. Ad poenitentiam igitur agendam requiritur contritio, ut agnoscatur peccatum, agnoscatur miseria et damnatio nostra, quo intelligamus aliam rationem ad salutem nobis perquirendam esse necessariam, quam uel naturam nostram, uel nostras uires aut iusticiam. Contritio autem non est concipienda ex humano iudicio. Sic enim nunquam ueram contritionem consequeris, sed est concipienda est uerbo Dei, ex lege Domini. In hac enim perspicue exponitur, quid Deus a nobis exigat, & manifeste pronunciat, si non praestiterimus legem Domini

Contritio unde concipienda.

DE POENITENTIA

nos plane damnatos esse. Verbo igitur diuinæ legis uera nobis inijcitur contritio. Exempli gratia: Prosequor inuidia proximum. Si de hoc peccato iudicem secundū humanum captum, uidetur leue peccatum. At lex Domini proferēda est: Qui odit proximum homicida est. Homicidæ autem non pertinent ad regnum Dei. Hic iam ui deo gravitatem peccati & damnationem meam, &c. Deinde, ad agendam pœnitentiam requiritur confessio, ad quam saltem mediocriter explicandam requiritur propria concio. Dicamus igitur nunc de ea, quantum ad præsens propositum satis est. Negari enim non potest, quin magni abusus irrepserint in confessionem illam auriculari, quæ fuit hæctenus usitata in Ecclesia. Primum enim senserunt necessariam esse omnium peccatorū enumerationem, id quod est impossibile, iuxta illud: Delicta quis intelligit? Deinde, existimârunt hoc opus esse

Confessio auricularis.

esse meritum, quo expiarentur peccata, ut non addam, quòd multi ex confessione proditi, uitā suam amiserunt: hi sunt magni abusus confessionis. Nilominus tamen confessio per se nō est impia, nec in hos abusus in Ecclesia principio instituta fuit, sed usitata est, ut hac occasione homines audirēt à ministro Ecclesiæ Euangelion de Christo priuatim, quo conciperent fidem, & cōfirmarentur in fide. Quamquam enim publicè prædicetur Euangelion, & unaquæuis concio de Christo sit absolutio à peccatis, tamen conscientia peccatis turbata, ualde est imbecillis, & cogitat publicā absolutionem non pertinere ad se, sed nescio ad quos sanctos. Ac requirit priuatam absolutionem, præsertim eam, quam, si possibile esset, Christus coram sibi soli & priuatim diceret. Sicut peccatrici dixit Lucae 7. Remittuntur tibi peccata tua: fides tua saluam te fecit, uade in pace. Et sicut ait paralytico:

DE POENITENTIA

Bono animo esto fili, remittuntur tibi peccata tua. Cùm igitur Christus non obambulet nũc externa facie inter homines, excogitauit modũ, quo seipsum imbecilli conscientiaẽ corã proponeret. Is autem est modus, & mandauit Apostolis & ministris Ecclesiã, ut prædicent Euangelion de remissione peccatorum, Et consecrauit uerbum eorum in uerbum ipsius, dicens Ioan, xx. Accipite Spiritum sanctum, quorumcũq; remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumcũq; retinueritis, retenta sunt. Et Petro sub nomine aliorum Apostolorum Mat. 16. Dabo tibi clauẽs regni cœlorum, & quicquid solueris in terra, erit solutũ in cœlis. Præterea Luca 10. Qui uos audit, me audit. Ergo, inquires, qui audit ministrũ Ecclesiã dira quæuis more nebulonum, dicentem, audit Christum: Nequaquam, sed Christus intelligit de officio quod ministris cõmendauit. Et dedit eis non liberam sed circum-

cum scriptā potestatem, uidelicet, ut
prædicent Euangelion. Ergo cū au-
dimus Euangelion è ministris Eccle-
siæ, ibi tum audimus uocem Christi.
Instituta igitur fuit confessio ad audi-
endam uocem Euangelij, et ad confir-
mandam fidem. Sic Matth. 3. qui ueni-
unt ad Ioannem confitentur peccata
sua, non ut merito operis satisfaciant
pro peccatis, sed ut declararent desi-
derium suum, & audirent absolutio-
nem à Ioanne per baptismum & do-
ctrinā de Christo. Sic Acto. 19. Ephe-
sij confitentur peccata sua. Quare in
Ecclesijs rectè institutis, is ordo serua-
ri deberet, ut nemo quidem sub pœ-
na damnationis adigeretur ad confes-
sionem. Sed primum firmis & intelli-
gentibus liberum permetteretur, uel
confiteri, uel non confiteri. Deinde,
infirmis conscientijs consuleretur, ut
saltem generalem faciant confessio-
nem, quo audiant Euangelion abso-
lutionis. Postremo, ut adulescentia

DE POENITENTIA

cogeretur confiteri saltem aliqua & grandiora peccata, quo hac occasione deterreretur à peccatis, & erudiretur in religione. Omnino enim necessarium est, ut credamus nobis esse remissa peccata propter Christum. Fides autem in Christum concipitur ex Evangelio & confirmatur. Evangelium igitur audiendum est tam publice quam priuatim, qui priuatus auditus confessione petitur. Postremò ad agendam poenitentiam requiritur satisfactio. Hic iterum uariè erratum est. Nam existimauerunt, si quis pro peccatis, uel aliquandiu ieiunet, uel aliquas preces effundat, uel missas instituat, det eleemosynas, aut peregrinetur ad aliquem sanctorum, hic expiet peccata sua. Ac orandum quidem est & ieiunandum. Sed nullum humanum opus satisfacit pro peccatis. Vna est satisfactio nostra, uidelicet Iesu Christi passio, cuius participes reddimur, si credimus in Christum. Et tamen ad poeni-

Satisfactio.

pœnitentiam requiritur etiam nostra satisfactio, non quidem expiationis, sed gratiarum actionis, uidelicet ut ex fide bene operemur, & obediamus mandatis Dei ad declarandam fidem & gratitudinem nostram. Hæ sunt tres partes præparationis nostræ ad sumendam cœnam Dominicam, uidelicet contritio, id est, agnitio peccatorum, confessio, id est, fides: Et satisfactio, hoc est, gratiarum actio: Quare ex re manifestum est, quòd ad sumendam Dominicam cœnam non præparent se impœnitentes, sed tantum pœnitentes.

Quare ut præparati ueniamus ad cœnam Dominicam, agamus pœnitentiam, ut consequamur remissionem peccatorum, & confirmemus conscientiam in cœna Dominica per Christum Iesum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto laudandus Deus in secula, Amen.

DE POENITENTIA

HOMILIA NONA.

De Absolutione.



TRACTAUI mus hactenus de poenitentia & eius partibus, de praedicatione legis & Evangelij, ex quibus poenitentiae partes ueniunt, agnitio scilicet peccatorum, fides in Christum, & fidei obediētia. Deinde cum non sufficiat fidem habere tantum, sed requiratur etiam ut ea confirmetur & constet, addidimus sacramenta, Baptismum uidelicet & coenam Dominicam, ac illorum rationem explicauimus.

Reliquum est, ut etiam de Absolutione à peccatis dicamus, siquidem et illa fidem cōfirmat, & inter sacramenta etiam numeratur. Et quanquam in proxima Homilia, cum praeparationem ad coenam Dominicam tractaremus, nonnulla de absolutione, & ea quae absolutionem praecedere debēt, recensuerimus, non tamen uideretur

inutile esse, si & alia quæ de absolu-
 tione peccatorum dici solent, adiñcia-
 mus. Quare pauca quædam de hac
 re nobis in præsentî Homilia differen-
 da sunt. Primùm autem sunt qui pror-
 sus absolutionem à peccatis fastidiūt,
 dicunt enim: Quid? Quomodo absol-
 uet me homo à peccatis, qui fortassis
 est alijs multo peior, qui fallere po-
 test, iuxta illud: Omnis homo men-
 dax? Solus Deus, inquiunt, remittit
 peccata, non sacrificulus. Deinde, alijs
 sunt, qui iudicant eam non ualde uti-
 lem: Sed credo, inquiūt, in Christum,
 quòd passus sit pro peccatis meis,
 quid mihi opus est absolutiõe? Ostem-
 dendum igitur erit quæ sit recta ratio
 absolutionis. Ac principio uerissimū
 est, nullum hominem tam sanctum
 esse qui possit sua autoritate & virtu-
 te peccata remittere. Hæc enim pote-
 stas ad solum Deum pertinet. Sed in-
 terim obseruandum est, quòd quæ ad
 solius Dei autoritatem et potestatem

Homo quo
 modo possit
 remittere
 peccata.

DE POENITENTIA

pertinent, ea possint etiam ordinatio-
 ne & mandato Dei hominibus com-
 petere. Nam quemadmodum ad solū
 magistratum pertinet gladio uti legi-
 time, interim tamen potest magistras-
 tus gladium etiam privato hominī cō-
 mittere, ut fit in bello. Sic & Deus po-
 test ordinare, ut & homines à peccat-
 is suo nomine & autoritate absol-
 uant. Solius etiam Dei est, mortuos
 suscitare, & ægrotos curare, attamen
 hoc donum mandato Dei etiam Apo-
 stoli habuerunt. Sic enim Christus,
 cū discipulos suos in orbem terra-
 rum emitteret ad prædicandum Euan-
 gelion, ait Marci decimosexto: Signa
 eos qui crediderint hæc sequentur,
 Per nomen meum dæmonia eijcient,
 linguis loquentur nouis, serpentes
 tollent, & si quid letale biberint, non
 nocebit eis: super ægrotos manus im-
 ponent, & bene habebunt. Quare
 Absolutio quoque etsi ad solum De-
 um autoritate pertinet, tamen etiam
 homi-

hominibus diuinitus demandari potest. Itaque Christus primum quidem potestatem absoluendi à peccatis, ipse usurpauit (est enim unigenitus filius Dei, & passus est p̄ peccatis nostris) dicens Matth. 9. Fili remittuntur tibi peccata tua. Et ad peccatricem ait: Remittuntur tibi peccata tua. Deinde, commendauit eam nomine suo toti Ecclesiæ, Matth. 18. Amen dico uobis, quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata in cælo: & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta in cælo. Sed quia oportet in Ecclesia omnia ordine geri, ideo Christus ministerium absoluendi à peccatis, Ecclesiæ ministris & Ecclesiæ ita commendauit, ut præ illorum absolutione, ne angelum quidem diuersum nobis concionantem audire debeamus. Tibi, inquit Matth. 16. dabo claves regni cælorum, & quicquid solueris in terra, erit solutum in cælis: & quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cæ-

DE POENITENTIA

lis, Vbi sub noie Petri omnibus Apo-
 stolis, & omnibus Euangelij ministris
 datur potestas absoluendi à peccatis.
 Et ut planè nullus dubitandi locus re-
 linqueret, Christus certissimis signa-
 culis, absolutionem peccatorum à mi-
 nistris Euangelij sui pronunciatã con-
 firmavit. Primùm, suo ipsius uerbo,
 apud Lucam enim ait: Qui uos audit
 me audit. In Matthæo, quemadmodũ
 paulò antè diximus, Petro ait nomine
 omnium Apostolorũ et ministrorum
 Euangelij: Tibi dabo clau es regni cœ-
 lorum, &c. Deinde confirmavit eam
 magnis & stupendis miraculis, quæ
 tam ipse quàm Apostoli in nomine eius
 ediderunt, Christus enim propter
 hanc potissimum causam edidit mira-
 cula, ut maiestatem suã miraculis res-
 uelaret, et autoritatem suam, qua pec-
 cata remittebat, & Apostolos in no-
 mine suo remittere iubebat, cõfirma-
 ret: Vt sciatis, inquit, quòd potestatem
 habeat filius hominis in terra remit-
 tendi

Miraculorũ
 ratio.

tendi peccata, tunc dicit Paralytico :
 Surge, tolle lectum tuum, et abi in do-
 mum tuam. Et ille surrexit, & abiit in
 domum suam. Apostolis quoque ean-
 dem ob causam tribuit potestatem eden-
 di miracula in nomine ipsius, ut per ea
 tantum celestia testimonia confirmare-
 tur, uocem Euangelij & absolutionis
 à peccatis in nomine Christi, non mi-
 nori fide accipiendam esse à ministro
 Euangelij, quam ab ipsomet Christo.

Cæterum, cum Christus ante pas-
 sionem suam Apostolis suis clauis Ec-
 clesie & potestatem remittendi com-
 mendaasset, posset quispiam existimare,
 quod cum Apostoli omnes à Christo de-
 fecissent in passione sua, Christus eti-
 am abrogasset ipsis ministerium Euana-
 gelij. Sed hæc opinio refutatur ex eo,
 quod Christus post resurrectionem suam
 statim confirmet ministerium Apo-
 stolorum, Ioan. 20. dicens : Sicut misit
 me Pater, ita & ego mitto uos. Ac in-
 sufflauit in eos, dicens : accipite spiritum

DE PŒNITENTIA

sanctum : Quorumcunq; remiseritis peccata, remittunt eis, quorumcunq; retinueritis, retenta sunt. Quo loco nomen spiritus sancti intelligendum est, pro dono et officio spiritus sancti.

Spiritus sanctus pro dono & officio spiritus sancti.

Ministri Ecclesie etiam mali possunt absoluere a peccatis.

Nam remittere peccata est officium spiritus sancti. Hoc ergo Christus commendans Ecclesie ministris, dixit. Accipite spiritum sanctum, hoc est, commendo uobis ministerium spiritus sancti, ut pœnitentes absoluatis nomine spiritus sancti a peccatis, impœnitentibus retineatis. Et hinc uides quomodo minister Ecclesie quantumuis malus, possit absoluere a peccatis. Christus enim non tribuit hanc auctoritatem personæ dignitati, sed ministerio a se ordinato. Quid inter metalla præstantius est auro? sed an non & scortum potest gestare aurum? Ita inter officia spiritus sancti nihil magis præcipuum est potestate absoluendi a peccatis, sed hoc officio etiam malus minister defungi potest. Exemplum habes

bes in Nazianzeno, de sigillo aureo & ferreo. Similis em̄ figura est sigilli in cæra annulo aureo & ferreo facta, ita absolutio similis est absolutio, etiam si dissimiles sint ministri. Etsi enim minister Ecclesiæ publicè sceleratus debet legitimè deponi, tamen si audieris Euāgelion absolutiois à ministro reprehensibilis uitæ, nihil aufertur ueritati eius absolutiois. Hæc de institutione absolutiois. Nunc de utilitate illius quædam audiemus. Ad quid ergo, inquires, mihi utilis est absolutio, si credo Christum pro me passum? *Absolutionis utilitas.* Respondeo, Sicut alia Sacramenta, ita et absolutio est instituta ad confirmandam conscientiam nostram in dubitationibus, & ad roborandam fidem. Sæpe enim diximus, nihil tenerius esse conscientia, nihil etiam magis incredulum, præsertim in diuinis rebus, quæ non sensu percipiuntur. Nascimur em̄ in ignorantia rerum diuinarum, Quare semper nobiscum gestamus dubi-

DE POENITENTIA

tationem, quæ sese præcipuè in tenta-
tionibus reuelat. Nam si reuelatū est
in conscientia iudicium Dei super pec-
cata, & sentimus grauitatem peccato-
rum, etiam si audiamus Christum pro
nobis passum, tamen quia diuersum
sensu doloris percipimus, solemus du-
bitare. Instituit ergo Christus Sacra-
menta, Primum Baptismū, deinde cœ-
nam Dñicam, ut his ueluti literis & si-
gillis cœlestibus in fide cōfirmemur.
Postremò, instituit etiam Absolutio-
nem, ueluti chirographum suū, ut ex
omni parte nos de uoluntate sua cert-
tiores redderet. Sic enim cogitamus:
Audis quidem Euangelion, habes Sa-
cramenta, Baptismum et cœnam Do-
minicam, ueluti literas & sigilla Dei.
Attamen multò certior esses, si audi-
res ipsum Deum tecū colloquentem,
aut si haberes chirographū eius. Reli-
quit ergo Christus post se absolutio-
nem, quam confirmauit tanq̃ uocem
Dei, dicens: Qui uos audit, me audit,
&

& confirmauit eam tanquam chirographum suum, dicēs, ut etiam supra commemorauimus: Erit et in cœlo solutum. Insuper & miraculis & cœlestibus testimonijs confirmauit, q̄ absolutio à peccatis, sit uox, nō hominis, sed Dei, & q̄ sit chirographum Christi. Est ergo absolutio utilis ad confirmandam conscientiam in fide de remissione peccatorum. Vbi aut̄ mens est confirmata de remissione peccatorum, ibi omnia salua sunt. Cæterum ut absolutio ordine distribuatur, exigitur ab Ecclesia confessio: uel ut petitori absolutionem peccatorum suorum, indicent se esse peccatores, & agnoscere peccata sua. Sed cū id uel nominatur tantum, mox resiliunt auditores, Hoc uelcus tangi nolunt: Alij enim dicunt sacrificulos quærere uiam ad restituendam confessionem Papisticam. Alij affirmant ipsos hac uia grassari iterum ad dignitates & potestates terrenas. Itaque

DE POENITENTIA

Qualis confessio exigatur.

impatiensissimè de hac re dicentè audiunt. Sed quid facias? Num propter has calumnias consentiendum est in incompósitos mores Ecclesiæ? Obserua igitur, neminem cogi ad confitendum peccata iuxta modum Papisticum. Quancūq; enim multis utile esset, ut præcipua sua peccata enumerarēt coram ministro Ecclesiæ fide digno, quo ipsorum uitijis consuli posset, tamen quia hæc enumeratio non est lege diuina præcepta, non exigit à quocquam, & si exigeretur, non esset necessarium obedire. Sed tantū hoc exigitur, ut auditurus absolutionem peccatorum, & sumpturus cœnam Dominicam, confitearis in genere te esse peccatorem, et indices ministro Ecclesiæ, te hæc petere. Necessarium autem est id exigere. Ac optarēt quidem pastores & Ecclesiarum ministri, ut hoc onere exonerati essent, sed officij necessitas hoc postulat. Primum enim publicus Ecclesiæ cōsensus hoc onus
 ipsis

ipsis imposuit, ne sinant accedere ad
 sacram cōmunionem inexploratos, *Inexplorati*
 ut scriptum est in publica Confessio: *cur ad cōmu-*
 ne Augustæ Imperatori oblata. Non *nionem non*
 est autem hominum, aut privatorum *sint admitten-*
 ministrorum, ut publico consensu ire *di.*
 pugnent. Deinde ad ministros Eccle
 siæ dictum est: ne detis quod sanctum
 est canibus, ne proieceritis margari-
 tas vestras ante porcos. Canes autem
 & porci sunt impœnitentes: quomo-
 do autem poterit pastor cognoscere
 qui sint impœnitentes, si nemo petat
 absolutionem aut Sacramenta: Exigi-
 tur ergo confessio, aut si mauis indi-
 catio, ut pœnitentes ab impœniti-
 bus separentur. Adhæc Ezech. cap. 3.
 scriptum est: Si dicēte me ad impium
 morte morieris, non adnunciaueris
 ei, neq; locutus fueris, ut auertatur à
 uia sua impia & uiuat: ipse impius in
 iniquitate sua morietur, sanguinem
 autem eius de manu tua requiram. Si
 autem tu adnunciaueris impio, & ille

DE POENITENTIA

nō fuerit conuersus ab impietate sua,
 et à uia impia, ipse quidem in impieta
 te sua morietur, tu autem animam tu
 am liberaſti. Sed quomodo paſtor
 hoc adnūciare poteſt, ſi omnes ipſum
 fugiunt? Neq; enim licebit domos a
 lienas perſcrutari, aut per liſtores to
 care, aut publicè nominatim perſtrin
 gere. Quare neceſſe eſt, ut qui uelint
 Sacramentorum participes eſſe, pe
 tant illa ab Eccleſiæ ſuæ paſtore. Gra
 ue quidē peccatoribus uidetur, quòd
 caſtigentur uerbis, ſed tolerabilius
 eſt, ut nunc uerbis, quàm poſtea igni
 infernali caſtigentur, præſertim cum
 ſic caſtigari à paſtore, non ſit infamia,
 ſed medicina. Quare non debet Eccle
 ſia, ad conſeruandum honeſtum ordi
 nem, hoc onus à ſe reiſcere, præſertim
 cum etiam ad diſciplinam iuniorum
 pertineat, ut explorentur & deterre
 antur à peccatis. Debet autem hæc
 confeſſio uel indicatio ordine fieri, ut
 non ſimul omnes accedant ad paſto
 rem

rem siue ministrum Ecclesiæ, sed alius post aliū accedat. Quod & ipsum exigitur ab hominibus ipsorum commodo. Sunt enim qui uerentur colloqui cū ministro Ecclesiæ alijs audientibus. Sunt senes, cum quibus necessesse est ut minister altiori uoce loquatur. Proinde inhonestum est ita petere Sacramenta, ut alter alteri sit impedimento. Hæc de confessione dicere uoluimus, non ut confessionem Pænitentiæ restitueremus, sed ut honestam disciplinam in Ecclesia conseruamus, & ut ministri Ecclesiæ suo munere ad utilitatem Ecclesiæ defungi queant. Quare si de peccatorum remissione dubitaueris, non detrectes neque uerearis coram ministro confiteri & indicare te esse peccatorem, peccata tua agnoscere, & ab eo absolutionem petere ac audire, ut confirmata per absolutionem fide, pacem conscientiæ consequaris, & in obsequio diuinæ uocationis ad percipiendam re-

DE POENITENTIA

gni cœlorum hæreditatem ambules,
per Iesum Christum Dñm nostrum,
qui est unà cum Patre & Spiritu san-
cto laudãdus Deus in secula, Amen.

HOMILIA DECIMA.

De Oratione.



Vperioribus concioni-
bus explicuimus partes
& Sacramenta pœniten-
tiæ, quę sunt baptisumus,
& cœna Dominica, quibus etiam ab-
solutionem à peccatis adiecimur, uiz
delicet q̄ ad agendam pœnitentiã ue-
ram, requiratur peccatorũ agnitio, &
odium. Adhęc, ut credamus ea nobis
remissa esse propter Christum, et hęc
fidem confirmandã esse sacramentis,
baptismo scilicet, cœna Dominica &
absolutione. Cũm autem fides etiam
per orationem confirmetur & certi-
ficetur, necessario quoq̄ dicendum
erit de oratione. Dicemus ergo in præ-
senti Homilia breuibus de necessita-
te, dignitate & utilitate Orationis.

Primum

Primum autem omnium obseruemus, quòd necesse habeamus orare. Etenim, quemadmodum Deus in articulis Decalogi præceptis exigit, ut non occidamus, non furemur, non adulterium committamus, ita in primo et secundo præcepto exigit, ut oremus. Nam cum dicit: Ego sum Dominus Deus tuus: Nō habebis deos alienos coram me, & non assumes nomē Domini Dei tui inuani, perspicuè significat, in unum solum Deum credendum, & unum solum Deum inuocandum & adorandum esse. Et in Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Et Christus ipse ait Lucæ 18. Oportet semper orare & non defatigari. Et iterum: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Sed longum esset omnes scripturæ sententiæ enumerare, in quibus exigitur, ut precemur. Quare sicut homicida aut fur grauissimè peccat homicidio & furto suo, ita nō minus grauitè corā

Orare necesse habemus.

DE POENITENTIA

Deo peccat, qui non orat in afflictione sua. Et cum is qui orationem negligit tam horribiliter peccet, quid obsecro, de illo sentiendum est, qui non solum non orat, sed etiam maledicit & execratur Deum ac homines?

*Orationis
promissiones*

Deinde uocat nos Deus ad orationem, non tantum preceptis, sed etiam promissionibus suis. Prope enim est Dominus omnibus inuocantibus ipsum in ueritate. Inuoca, inquit, me in die tribulationis, & eripiam te. Et Psal. So. Dilata os tuum, & implebo illud, hoc est, ora, quantacumque uelis, & ego exaudiam ac uotis tuis satisfaciam. Et alias apud Iohellem cap. 2. Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Et Christus apud Lucam cap. 11. Omnis qui petit, accipit, & qui quaerit, inuenit, & pulsanti aperietur.

Christus orauit frequenter.

Præterea, inuitat nos etiam ad orandum Christi exemplum. Hic enim quamquam nullum unquam peccatum fecit, & fuit omnium diuinarum rerum conscius,

conscijs, quippe quòd sit unigenitus
Dei filius, frequentissimè tamen ora-
uit, & ad orandum secessit. Quid er-
gò non faceremus nos, in peccatis cõ-
cepti et nati, atq; diuini auxiliij quouis
momento indigentes?

Ad hæc, incitent nos ad orationem
omnium sanctorum exempla. Hi em̄
cũ agerent ætatem suam in terris,
reputârunt orationem, unicum suum
solatium & asylum in omnibus affli-
ctionibus. Sunt autē sancti nobis pro
positi, iuxta suam rationem, in exem-
pla rerum agendarum. Sit ergo ora-
tio etiam nostrum asylum, ad quod in
afflictionibus confugiamus. Oratio-
nem etiam adumbrat nobis cultus *Thymiamatis*
Thymiamatis, qui in Exodo cap. 30. *tis cultus.*
describitur: Adolebit (inquit) Ahe-
ron incensum super altare suaue fra-
grans, mane quãdo componet lucer-
nas, incendet illud, & quãdo collocat
eas ad uesperum & thymiamata sempi-
ternum coram Dño in generationes

*Oratio asyla
in afflictionibus.*

DE POENITENTIA

uestras. Hic cultus non placuit Deo ex merito operis (ut uocant) operati, sed docuit & admonuit frequēter orandum esse, quemadmodū exponit Psalmus 140. Dirigatur, inquiēs, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum. Et hoc est quod placuit Deo in cultu thymiamatis.

Orationis dignitas.

Præterea, uocat nos ad orandum orationis dignitas. Nam oratio quid aliud est, quàm familiare colloquium cum Deo? Maxime autem dignitatis est, cum Deo familiariter colloqui. Quid enim potest huic deesse, qui ad familiaritatem Dei admittitur? Oratio autem quæ est ex fide in Christū, est uia, qua et rectà peruenitur ad Deum in aduersis, & impetratur ab ipso certissima salus. Sic enim de oratione sentire docet nos uerbum Dei iubentis orare, & promittentis exauditio-
Mose. ad Deum Mose, cū in afflictionibus
 esset,

esset constitutus. Hic enim cum edu-
 xisset Israëlitas ex Aegypto ad mare
 rubrum, prohibebatur ex una parte
 mare, ex altera inaccessis montibus, à
 tergo autem premebatur hostibus,
 ut plane nulla euadendi uia pateret.
 Quo ergo sese in tantis angustijs uer-
 tit: aut quam uiam ingreditur? certè
 non habet aliam, præter orationem,
 qua etiam tam serio & ardentè ince-
 debat, ut audiat à Domino: quid cla-
 mas ad me? quemadmodum Exod. 14.
 scribitur. En accipe etiã successorem *Iosua.*
 eius Iosua, ut est Iosua 7. qui cum
 exercitus eius uictus esset à ciuibus
 urbis Hai, & cor totius populi instar
 aquæ liquefactum esset, quemadmo-
 dum scriptura loquitur, non aliud ha-
 bet, quod in summo periculo arripiat
 quàm orationem. Quid dicam de Dau-
 de, cuius Psalmi qui extant, quid aliud *David.*
 sunt, quàm publica testimonia de ora-
 tionis tum dignitate & autoritate, tum
 efficacia & utilitate? Nec silentio præ-

DE POENITENTIA

Iosaphat.

tereundum est, quod scriptura de Iosaphat rege Iuda 2. Para. 20. commemorat. Hic enim, cum Syri innumerabili exercitu ex improviso in regionem Iudae incurrissent, & uideretur de regno Iudae clamatum esse, ad orationem tanquam ad sacram (quod dici solet) anchoram festinat. In nobis, inquit, non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, sed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros ad te dirigamus. Sunt & alij infiniti pii, quos longum esset commemorare, qui in afflictionibus suis hac uia ad Deum accesserunt, quorum orationis uirtus & utilitas nobis commedatur.

In oratione
perseuerandum.

Ac in aduersis quidem incipere orare, non est admodum difficile creditibus in Christum: at in oratione perseuerare & aduersis non defatigari nec frangi, hoc opus hic labor est. Multa enim sunt quae homines ab oratione auocant. Primum, quia cum non

non continuo liberantur ab afflictionibus, existimant se non exaudiri. Deinde, quod Deus uideatur occupatior, quod ut respiciat, & afficiatur humanis miseris. Postremo, quod nos uideamur propter peccata nostra indigniores, quod quod Deus respiciat & exaudiat, adeo quod omnino nobis uoluntas Dei ignota esse uidetur, uidelicet, non certo uelit nos seruare. Hæc sunt quæ sollicitant animum orantis ad incredulitatem, & solent ipsum ita eneruare, ut quandoque defatigatus abijciat orationem. Perseuerandum itaque est in oratione, etiam si non continuo a malis liberamur & exaudimur. Primum quidem ut præcepto Dei obediamus, qui toties nobis orare & se in aduersis inuocare præcipit, & per Christum filium suum toties admonuit nos, ut oremus, ne intremus in tentationem. Deinde, ut continua oratione fidem nostram in aduersis sollicitatam & defatigatam confirmemus. Nam per orationem

DE POENITENTIA

*Fides exerce-
tur mora.*

reuoantur in mentem promissiones Dei. Oportet enim uerā orationem ē promissionibus Dei constare, promissionibus autem Dei alitur, conseruatur & confirmatur fides, ne languescat & incipiat dubitare, quasi Deus nolit audire nostras preces. Sciamus etiam huiusmodi mora exerceri nostram fidem, & maiorem interea temporis coronam fidei nostræ præparari. Nam Deus, suo tempore, tanto cumulatius implet, quod promisit, quanto diutius distulit. Promisit Deus Abrahamæ posteritatem, & primū in extrema senectute datur ei soboles. Item promisit ei semen, in quo benedicendæ essent omnes gentes terræ, quod tandem serè post duo milia annorum fuit exhibitum. Promisit Christus discipulis suis spiritum sanctum, non tamen post unum aut alterum diem misit, illi autem non ideo desperant, sed perseverant in oratione, ut inter alia aduersa in fide quoque perseverare queant.

queant. Quo exemplo nos quoque admonemur, ut in afflictionibus orationem capessamus, & in ea perseueremus, etiamsi non mox uotis nostris pro nostra libidine satisfaciatur: instandum enim est, urgendum & pergensum in precibus ad Deum. Nota est apud Lucam cap. 11. parabola de amico, qui postulabat noctu panes à uicino, qui & impetrabat importunitate, quod non poterat impetrare amicitia. Item alia de iniquo iudice cap. 18. qui non pietate aliqua, sed molestia motus, uiduæ preces exaudiebat. Dicebat enim intra se: Quanquam Deum non timeo, nec hominem reueor, tamen quia molesta est mihi hæc uidua, uindictabo illam, ne tandem ueniens sugillet me. Quæ certe omnia huc spectant, ut admoneant nos, quo semper in aduersis oremus, nec unquam defatigemur.

Ad hæc non existimemus in afflictionibus Deum esse occupationem, quam ut nos respiciat, aut afficiatur

Deus potest et uult nos in afflictionibus adiuuare.

DE POENITENTIA

nostris miseris, Nam ipse est omnipotens, nec more hominum negotijs impeditur, quo minus suos respiciat, nec alijs affectibus retrahitur, quo minus afficiatur nostris miseris. Ipse em̄ est Dñs Deus noster, creator cœli & terræ, qui non discessit ab operibus suis post creationē, sed adhuc omnia quæ creauit gubernat, administrat & conseruat, Per ipsum, inquit Paulus, uiuimus, mouemur & sumus. Et Christus: Nonne duo, inquit, passeruli minuto a se ueneunt? & unus ex illis nō cadet in terram sine Patre uestro, uestri uerō etiam capilli capitis omnes numerati sunt. Et apud Prophetam ait Dñs: Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut nō misereatur filij uteri sui? Etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Cū igitur Deus possit et uelit nos in afflictionibus respicere et adiuuare, non dubitemus eum nobis adfuturum, sed iuxta promissiones suas nunc nos derelicturum

lictury esse credamus. Præterea si indi- *Indignitas no-*
 gnitas nostra propter peccata nobis *stra fide dem-*
 obstreperit, & peccatores simus, De *pellenda.*
 um autem peccatores non exaudire,
 cōsolemur nos per iustificationem fi-
 dei. Si enim pōnitentiam agimus &
 credimus Deum nobis propter Chri-
 stum ignoscere, statuamus certo nos
 Deo placere propter Christū filium
 suum, etiam si hærent in nobis adhuc
 peccata. Ideo apud Ioan. cap. 16. Chri-
 stus inquit: Quicquid petieritis in no-
 mine meo, quasi dicat: Nō potestis ue-
 stram dignitatem ad Patrem meū ad-
 ferre, sed opus est uobis intercessore
 & pontifice: Ideo ad me confugite, et
 statuete uos certō placere Deo, uos
 ab eo exaudiri ppter intercessorē &
 pontificem Christū filium suum: ante
 omnia cogitemus Christo factas esse
 promissiones, & eū procul dubio ex-
 audiri. Vnde ut semper hanc consola-
 tionem firmam haberemus cōtra no-
 strā indignitatē, Ecclesia in ueteribus

DE POENITENTIA

precibus semper addit : Per Iesum
 Christum Dominum nostrum. Qua-
 re in omnibus orationibus nostris pri-
 mum credamus, nobis scilicet remis-
 sa esse peccata propter Christum, &
 propter eundem etiam preces nostras
 placere Deo, & exauditas esse. Ex his
 perspicue uidemus, quod in omnibus
 periculis ac in omnibus tētationibus
 ad orationem, ueluti ad sacram an-
 choram, festinādum sit nobis, & quo
 molestiora sunt pericula, tentationes
 & aduersitates, eo uehementius ora-
 tioni insistendum est. Magna enim
 est uirtus orationis, quæ ad Dominū
 Deum nostrum habetur. Si ad eundū
 est periculum, oratio impetrat spīritū
 fortem & imperterritū, quo om-
 nia pericula negligere & superare li-
 cebit. Si in aduersis perseuerandum
 est, oratio impetrat constantiam et pa-
 tientiam, imo impetrat liberationem
 & salutem. Si faciendum opus, quod
 sine benedictione & incremento Do-
 mini

*Orationis
 uirtus & effi-
 cacia.*

mini promouere nō potest, oratio im-
petrat benedictionem & incremen-
tum. Sic orauit Iacob cum fratrem su-
um Esau fugeret, ut est Gene. 28. Si
fuerit, inquit, Dominus mecum, et cu-
stodierit me in uia per quam ego am-
bulo, & dederit mihi panē ad uescen-
dum, & uestimētum ad induendum,
reuersusq; fuero prospere ad domū
patris mei, erit mihi Dominus in De-
um, &c. Et adeo ditatus est, ut qui Ior-
danem solo baculo transierit, cū dua-
bus turmis ac magnis diuitijs regres-
sus sit, ut Gene. cap. 32. scribitur. Ita
Salomon 3. Regum 3. orat ut Domi-
nus ei det cor sapiens & docile, ut po-
pulum suum iudicare possit & discer-
nere inter bonum & malum, quod in-
tantum Domino placuit, ut dixerit
Salomoni: Quia postulasti uerbum
hoc, &c. Ecce feci tibi secundum ser-
mones tuos, & dedi tibi cor sapiens
& intelligens, intantum ut nullus an-
te te similis tui fuerit, nec post te surre-

DE POENITENTIA

Sturus sit. Quicquid igitur nobis in uo-
 catione Dei agendum est siue patien-
 dū, ad orationem ex fide proficiscen-
 tem confugiamus, & impetrabit no-
 bis oratio gratiam & auxillium Dei.

*Per oratione
 plus impe-
 trant quam
 petere au-
 dent.*

Ad dignitatem et utilitatem oratio-
 nis etiam hoc pertinet, quod Deus pijs om-
 nia multo cumulatius prestat quam ipsi
 petere audent, id quod scriptura ubique
 testatur. Abraham petebat tantum, ut
 Ismael uiueret coram Deo, non ausus
 sperare prolem esse Sara nonagenaria.
 Sed ut Deus indicaret se pijs presta-
 re ultra omnia quae cogitant, dat ei fi-
 lium Isaac esse Sara, cuius semen multipli-
 catum postea est sicut stellae caeli &
 arena maris. Iacob hoc tantum ambie-
 bat, ut amissum olim filium suum Ioseph
 adhuc superstitem uideret. At
 Deus illud etiam ei prestitit, ut non so-
 lum superstitem filium, sed & princi-
 pem ipsum in Aegypto uiderit. Quin
 & Ioseph carceri inclusus uix aude-
 bat sperare liberationem esse carcere, sed
 Dominus

Dominus demonstraturus se præstare p̄is ultra omnia quæ cogitant, nō solum liberavit eum ē carcere, sed etiam fecit eū principem in regno Aegypti. Quid de Davide dicam, qui in exilium à Saule eiectus, uix cogitare audebat, ut in patriam suam priuatus reuerteretur. Dñs autem effecit, ut non solum rediret ab exilio in patriā, sed etiam, ut omnium Israëlitarū rex fieret. Cū Petrus apprehensus esset ab Herode & custodiretur in carcere, post Pascha ad supplicium producendus, congregantur discipuli ad cōtinuam orationem pro eo. At illi ita congregati, uix audebant in tantis afflictionibus petere, ut captiuis & interfectis Apostolis Dominus ipsos à morte eriperet, & prædicationem nominis Iesu Christi interire nō sineret. Vt autem Petrū liberaret ē tam præsentanea morte, fortassis ne per somnium quidem, ut dicitur, cogitabant, & ut maximè illud optauerint, nulla

DE POENITENTIA

tamen humana ratione sperare poterant. Sed tanta est clementia (de poenitentia enim nulla est cōtrouersia) Domini Dei nostri, quòd non solū ipsum à morte seruet, & Euangelion Iesu Christi defendat, sed restituit etiam ipsum Petrum incolumē & liberum. Quid potest hac clementia dici benignius? Dies me deficeret, si pergerem omnia scripturę exempla enumerare, quibus Deus comprobauit, se hac uirtute præditum esse, quòd præstet pijs ultra omnia, quę iuxta humanas suas rationes cogitent aut petāt.

Habemus quàm necessaria nobis sit uera oratio ex fide profecta, quantum habeat dignitatem, & quanto sit usui. Quibus autem uerbis orandum sit, ut incendatur & inflammetur fides, qua sola propter Christum salus impetratur, docet scriptura in multis orationibus & Psalmis, quos utile est cognoscere, & pro sua ratione commemorare. Sed & Christus idem docet

et in oratione Dominica, qua quasi breui quadam epitome omnium sanctorum orationes comprehendit, ita ut nulla res sit diuinitus promissa, & à Deo impetrabilis, cuius petitio in ea oratione, uidelicet Dominica, non cōtineatur. Oremus igitur sine intermissione, ut obediamus Deo, et impetremus à Deo per orationem omnia quæ nobis necessaria ad salutem nostram tum corporalem, tum spiritualem, diuinitus promissa sunt, in Christo Iesu Domino nostro, qui est unum cum Patre & Spiritu sancto laudandus Deus in secula, Amen.

HOMILIA VNDECIMA.

De Cruce.

IN Homilia quam superiori die de oratione diximus, ostendimus fidem per orationem confirmari. Nunc uerò paucis explicabimus qui sint fidei fructus. Itaq; ut non longis ambagibus uos detineamus, fru-

DE POENITENTIA

Stus fidei sunt (quemadmodum qui-
 dē nunc de fidei fructibus loquimur)
 mala ferre & bona facere. Cū autē
 Ecclesia semper afflictionibus suble-
 cta sit & cruce exerceat, dicemus pri-
 mū de cruce seu afflictionibus. Nam
 cū sepe audiamus, quomodo facien-
 da sint bona opera, necessariū est ut
 aliquoties etiam discamus quomodo
 ferenda sint mala & aduersa. Christia-
 ni enim officium est tam bona diligen-
 ter facere, quā mala patienter fere-
 re, utrumq; pertinet ad Christiani ho-
 minis uocationem. Solent quidem ho-
 mines huius seculi hanc uocationem
 inuertere, ac ab alijs quidem, ut sibi
 benefiat exigere, ipsi autem alijs ma-
 lefaciunt. Itaq; sui officij esse putant
 malefacere, & bene pati. At contra,
 Christiani est benefacere & male pa-
 ti. Quare audiemus de afflictionibus
 & cruce. Et primū, quid sit crux.
 Deinde quomodo nos in cruce gerat-
 mus, ut accipiamus consolationem.

Principio,

Principio, crux est quæuis afflictio, si-
 ue interna siue externa, quæ ex gratia
 Dei accidit pñs propter Euangelion
 aut nomen Christi, ut ea probetur fi-
 des eorum, cognoscatur charitas Dei,
 & pñ magnifica liberatione illustren-
 tur. Porro internam seu occultã cru- *Das heims*
 cem & afflictionem sæpissimè nobis *lich vnd*
 Psalmi proponunt, de horrore iudicij *herzlich*
 & ire Dei in peccatis, de horrore mor- *Creutz.*
 tis & inferni. Velut Dauid Psal. 6.
 queritur: Domine, inquit, ne in furo-
 re tuo arguas me, neq; in ira tua cor-
 ripias me. Itẽ: Turbata sunt ossa mea,
 Et anima mea turbata est ualde. Item:
 Turbatus est à furore oculus meus,
 &c. Sic Hanna mater Samuëlis, ama-
 ro animo orauit ad Dominum, flens
 largiter 1. Regum 1. Externam etiã af-
 flictionem & crucem uidemus in om-
 nibus pñs à condito mundo fuisse. A-
 bel à fratre suo Cain occiditur, Abra-
 ham iubetur in exilium ire. Item iube-
 tur filium suũ Isaac immolare, Iacob

DE POENITENTIA

fratrem suum Esau fugere cogitur. Ioseph à fratribus in Aegyptum uenditur, deinde propter calumniam misus est in carcerem. Quid non passus est Dauid à Saule? Prophetæ varijs modis afflicti & trucidati sunt. Christus ipse filius Dei unicus, præter alias afflictiones, etiam cruci affixus est. Quid dicam de Apostolis ac de Martyribus, quæ mala non sustinuerunt? Et quid hodie etiam pij renato Evangelio Christi patiantur, passim uidemus. Has autem afflictiones Deus suis infligit ex gratia sua. Sic enim Petrus ait 1. Petri 2. Hæc enim est gratia apud Deum, siquidem in hoc uocati estis. Affligit autem suos Deus, non ut perdat, sed ut seruet, ut ad poenitentiam uocet, & exerceat fidem nostram. Sic enim Paulus ait 1. Corint. 11. Cùm iudicamur, à Dño corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Et Salomon Prouerb. 3. Quem diligit Dominus, corripit. Et Hebr. 12. flagellat omnem

omnem filium quem recipit. Vnde et
 Dauid Psal. 118. inquit: Bonum mihi,
 quòd humiliasti me, ut discam iustifi-
 cationes tuas. Cùm igitur Deus ex
 bona sua uoluntate nobis afflictiones
 immittat, nō ut perdat, sed ut seruet,
 ad poenitētiam uocet, fidem nostram
 exerceat, et nos exaltet, obediendum
 est Deo, & patienter ferenda quę no-
 bis à Deo inferūtur, ut seruemur per
 Christum, qui est omnium afflictio-
 rum consolatio.

Nam q̄ p̄i ob Euangelion & no-
 men Christi obruātur afflictionibus, *Piorum affli-
 ctiones.*
 Petrus in priori sua Epistola clare o-
 stendit: Charissimi, inquit, ne mireri
 ni, dum per ignem exploramini, quæ
 res ad experimentum uestri fit, perin-
 de quasi nouum aliquid uobis obtin-
 gat, imo in hoc, quòd consortes estis
 afflictionum Christi, gaudete, ut in re-
 uelatione quoq̄ glorię eiusdem gau-
 deatis exultantes. Si probris afficimur
 ni in nomine Christi, beati estis, quo-

DE POENITENTIA

niam gloria & spiritus Dei super uos
 requiescit. iuxta ipsos quidem maledi-
 ctis afficitur, iuxta uos autem glorifica-
 tur. Ne quis enim uestrum affliga-
 tur ut homicida, aut fur, aut facinoro-
 sus, aut curiosus alienarum rerum.
 Quibus uerbis Petrus crucem pijs
 accidere testatur propter Christi no-
 men. Et discernit piorum afflictiones
 & crucem, à cruce impiorum, qui af-
 flictiones & crucem flagitiorum suo-
 rum causa ferunt. Sed & Christus ait:
 Et eritis odio omnibus propter no-
 men meum. Hic etiam afflictiones &
 cruces electiciæ reijciuntur, quas sibi
 ipsis hypocritæ sine uocatione Dei im-
 ponunt, ut mereantur illis uitam eter-
 nam. Hæc enim crux, quam quis sibi
 sine uocatione Dei imponit, non est
 crux Christi, sed crux Satanae. Crux
 enim res est cognata Euāgelio, quod
 qui receperit, non opus habebit, ut
 crucem eligat propriam & sibi impo-
 nat, cum ea aliās sua sponte sequatur
 Euangelij

*Cruce electi-
 cia.*

Euangelij confessionem. Posteaquam enim Euangelion confessus fueris, pro uno diabolo infinitos accipies, & uno persecutore quam plurimos habebis, qui tibi insidiabuntur. Sed quid, inquires, de illis fiet, qui patiuntur quidem aduersa, sed alio nomine quam Christi & Euangelij, uidelicet, qui iniusta & iniqua patiuntur ab aduersarijs, sicut Naboth a rege Ahab. Aut qui patiuntur aduersa propter sua ipsorum maleficia, ut homicidæ, fures, & facinorosi. Non est difficile de his respondere, qui iniqua ab inimicis suis patiuntur. Omnia enim quæ alicui iniuste inferuntur, etiamsi nomen Dei, aut Christi, aut Euangelij non præteritur, tamen dicitur ea pati propter Christum, siquidem Christus est ueritas & iusticia. Quæcumque igitur propter ueritatem et iusticiam alicui iniuste accidunt, ea iudicanda sunt illi propter nomen Christi accidere. Itaque si quis in Christum crediderit, non minus

DE POENITENTIA

coronam gloriæ per suas afflictiones
 cōsequitur, q̄ qui aperte propter no-
 men Christi persecutionem patitur.
 Beati, inquit Christus, qui persecutio-
 nem patiuntur propter iusticiam, quo-
 niam ipsorū est regnum cœlorum. Et
 Petrus: Hęc est gratia, si quis propter
 conscientia Dei suffert molestias, pre-
 ter meritū affectus malis. De alijs au-
 tē, qui propter maleficia sua affligun-
 tur, dicit quidem Petrus, quę est laus,
 si cū peccantes a lapis cædimini suf-
 feretis. Et rursus: Ne quis uestrum af-
 fligatur ut homicida, aut fur, aut faci-
 norosus, aut curiosus alienarum rez.
 Attamen si ira res cadat, ut propter
 scelus perpetratum patiendū sit, fieri
 nihilominus potest, ut ex merito sup-
 plicio fiat sancta passio, non minus
 Deo grata, q̄ innocentissimorū mar-
 tyrum. Etenim si facinorosus ingenuē
 coram Deo peccatum suum confitea-
 tur, & credat illud sibi p̄ lesum Chri-
 stum remitti, tunc per Iesum Christū
 efficitur,

*Facinoroso
 rum afflictio-
 nes.*

efficitur, ut supplicium optimè meri-
tum, ad consequendam perpetuę glo-
rię coronā sanctificet. Nonne quam-
primum latro in cruce ad latus Chri-
sti pendens, suum scelus agnouit, &
Christo ex fide salutem suam cōmen-
dauit, in suo supplicio sanctificatus
est, et audiuit: hodie mecum eris in pa-
radiso: Nec mirum quòd facinorosi
per fidem in suis meritis supplicijs, e-
que ut innocentes martyres sanctifi-
centur. Vt enim martyres suo suppli-
cio testimonium Christo & Euange-
lio eius exhibēt, ita facinorosi sua pœ-
na testimonium dant legi Dei, & ex-
emplo sunt ut alijs à facinoribus caue-
ant, ne similiter plectantur. Esse autē
exemplo ut scelera uitentur, nonne
sanctitatis opus est: Proinde siue quis
iniuste siue iuste patiat, credat in Je-
sum Christum, & passio eius cessura
est ipsi apud Dominum in immarces-
cibilem glorię coronam. Sed ut reuer-
tamur ad crucem piorum, in hoc De

DE POENITENTIA

*Afflictiones
piorum.*

us pios inducit in crucem & afflictiones, ut eos gloriose liberet & exaltet. Videmus id in Israelitis, quos in Aegypto permisit varijs afflictionibus exerceri à Pharaone & Aegyptijs: sed tandem forti & potenti manu liberat eos ab omnibus afflictionibus, Iosephi tanquàm adulter cõiectus fuit in carcerem, ubi uidebatur prorsus periturus, sed quo minus sperabãt redemptio, tanto gloriosius ab hac cruce liberatur, & constituitur in principem totius Aegypti, ut scriptum est Gen. 31. David eijcitur in exilium, nũquàm uisurus patriam suam, & tanquàm infidiator regni ubiq; persecutionẽ patitur, nec usquàm in tuto est, sed Deus eum ab omnibus his afflictionibus ita liberat, ut regem constituat eum super uniuersum Israël. Quis non uideat (ut innumeros alios præteream afflictos) quantis afflictionibus Deus subiecerit unicum filium suum Iesum Christum pro nobis peccatoribus. Se metipsum

metipsum enim, inquit Paulus, inani-
uit forma serui sumpta, humiliavit se-
metipsum, factus obediens usque ad
mortem, mortem autem crucis. Sed
audi quanta eum gloria e cruce libe-
rauerit. Quapropter & Deus illum
in summam extulit sublimitatem, ac
donauit illi nomen, quod est supra om-
ne nomen, ut in nomine Iesu omne
genus se flectat coelestium, ac terrestri-
um & inferorum, omnisque lingua con-
fiteatur, quod Dominus sit Iesus Chri-
stus ad gloriam Dei Patris. Ut igitur
Deus filium suum ex afflictionibus
glorioso liberauit & exaltauit, ita libe-
rabit & exaltabit etiam omnes in il-
lum credentes. Quare non terreamur
cruce, sed confidamus nos per crucem
adituros esse in gloriam.

Habemus quid sit crux et afflictio-
nes. Nunc paucis audiamus, quomo-
do nos in cruce geramus, ne despes-
remus, sed consolationem accipia-
mus, & constanter feramus aduersa.

*Quid in cruce
agemus.*

DE POENITENTIA

Ante omnia respiscamus & Christū
 uera fide apprehendamus. Deinde,
 cū omnia extrinsecus uident despe-
 rata & conclamata, adeo q̄ in animo
 nihil præter moerorem & miseriam
 sentitur, ad promissiones diuinas festi-
 nādum est, è quibus fides orationem
 ad Deum componat & auxilium Dei
 inuocet. Quod si sine intermissione
 dum afflictio sentitur, fiat, nihil certius
 sequitur quā spiritus sancti solati-
 um. Sic enim uoco sensum gaudij et
 læticiæ in medijs afflictionibus orien-
 tem. Considera mihi Hannam Samue-
 lis matrem, quæ cum esset mulier lon-
 ge omniū miserrima, ac in corde suo
 nihil aliud sentiret q̄ afflictiones, uer-
 tit se ad orationem, & post orationē
 uno Eli sacerdotis uerbo perfunditur
 tãto gaudio, ut abiecta omni moe-
 sticia, iam nihil præter uoluptatem in
 animo sentiret. Quod certe nihil ali-
 ud erat, quā ipsissima Spiritus sancti
 uirtus & solatium. Sic David in-
 quit

quit Psal. 4. Cū inuocarem exaudiuit me Deus iusticiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi. Et iterum: Dolores inferni circundederunt me, preoccupauerunt me laquei mortis. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui. Et exaudivit de templo sancto suo uocē meā, & clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius. His uerbis significat David, se Spiritus sancti solatio, quod dilatationem cordis & exauditionē uocat, semper post orationem affectum fuisse. Quis uehementiores unquam mœrores & dolores sensit? Christus Iesus Dominus noster? Præ mœsticia enim & dolore cordis, factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis. Quid ergo in hoc doloris sensu agebat? ad preces festinabat, post quas apparuit ei angelus, gaudio Spiritus sancti ita eum exhilarans, ut seipsum sponte aduersarijs suis obuiam daret. Itaque in omnibus aduersitatibus

DE POENITENTIA

*Cōsolationes
in cruce.*

bus ad orationem tanq̄ ad asylum cō
fugiamus, ut spiritus consolationem
assequamur. Consolatur autem mul-
ta nos in cruce. Primū q̄ crucem sci-
mus explorationem esse nostrę fidei,
1. Petri 1. Iaco. 1. Deinde, quòd scimus
crucem esse signum dilectionis Dei
erga nos, Prouer. 3. Quem diligit De-
us corripit. Ad hæc, quòd scimus cru-
cem esse signum quòd simus filij Dei,
Hebr. 12. Si alieni estis à castigatione
spuriij estis. Præterea crux signum est,
q̄ sumus in regno cœlorum, & q̄ re-
gnum cœlorum nostrum sit. Sic enim
nos Christus ipse consolatur Matth.
5. Beati qui persecutionem patiuntur
propter iusticiam, quoniã illorum est
regnum cœlorum: hoc est, qui in affli-
ctione sunt & persecutionem patien-
tur propter iusticiam & Euangelion
Christi, certi sunt, quòd sint in regno
cœlorum, et quòd regnum cœlorum
ad ipsos pertineat. Insuper quòd glor-
riosam habituri sumus liberationem
ex

ex afflictionibus & cruce, & quod
 perpetua foelicitas certo cōsequatur.
 Mundus quidem interim tumultua-
 bitur, sed pñ gaudeant nec terrea-
 tur. Sic enim nos Christus certissime
 consolatur Ioan. 16. Mundus (inquit)
 gaudebit, uos plorabitis & lamenta-
 bimini, sed mœror uester uertetur in
 gaudium, & gaudebit cor uestrum,
 & gaudium uestrum nemo tollet a
 uobis. Ac explicat illud similitudine:
 Sicut mulier pregnans cū parit, do-
 lorem habet, &c. Ex quibus uerbis
 primū obseruemus mores impio-
 rum. Hi enim hos habēt mores, quod
 uehementer gaudeant, & existiment
 se foelices cū male successerit alijs
 ac præfertim pijs. Vocamus autem
 impios qui iniquas habent causas ad-
 uersus pios & bonos. Exemplum ha-
 bemus in passione Christi, ibi Phari-
 sei, Pontifices, atq; adeo omnes Iudei
 existimabant se saluos, quod occidif-
 sent Christum, & dissecissent cœtum

*Impiorum
 mores.*

DE POENITENTIA

discipulorum eius. Sic Cain existimabat se omnibus malis defunctum, & homicidio liberatus esset ab Abelo. Sic Israëlitę sentiebant se beatos, & occisis Prophetis pro sua libidine uiuerent. At impiorę gaudium nihil aliud est, q̄ partus ingentis adeoq̄ perpetuę afflictionis. Luc. 6. Væ uobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis. Psal. 36. Vidi impium super exaltatū & eleuatū sicut cedros Libani. Et transiui, & ecce non erat, nec inuentus est locus eius. Et, tanq̄ scœnum uel lociter arescent, & quemadmodum olera herbarū cito decident. Quemadmodum epim bulla in aqua supernatat, & se huc atq̄ illuc ita uertit, perinde ac si haberet imperiū aquę. At si uel tetigeris eam extremo digitulo, cito euanescet. Sic & impiorum gaudium bulla est, ac pręgnans repentino interitu. Cū dixerint pax & securitas, inquit Paulus, repentinus eis superueniet interitus. Patet hoc, pręter
 expe

experientiam etiã in Pharaone Exodi
14. submerso in mari rubro: patet in
Nabal, 1. Regum 25. In rege Balthasar
Danie. 5. Gaudium igitur impiorum
prægnans est subitanea perditione,
Idcirco fit propter impietatem & pecca-
ta ipsorum. Quare danda est opera,
ut unusquisque ab impietate resipiscat,
nec gaudeat fœlicitate iniquæ causæ,
sed timeat & agat pœnitentiam.

Deinde obseruemus etiã mœro-
rem & aduersitates piorum. Pios autē
uocamus qui uersantur in uocatione
Dei ex fide, et habent iustam causam.
Sic Apostoli pñ erant. Etsi enim erant
peccatores, quod ad naturam eorum
attinebat, tamen uersabantur in cau-
sa pia, cùm sectabantur Christum, &
confitebantur Euangelion. De horū
piorum mœrore ait Christus: Mœror
uester uertetur in gaudium. Et: Iterū
gaudebit cor uestrum, & gaudium
uestrum nemo tollet à uobis, hoc est,
afflictiones omnium piorū sunt præg

DE POENITENTIA

gnantes perpetuo gaudio. Hoc et si
 re ipsa non semper palpemus, tamen
 magis credendum est uerbo Christi,
 quàm sensui nostro. Christus enim fi-
 lius Dei descendit de coelo, ut ista nos
 doceret. Ac docuit ea paulò ante pas-
 sionem suam, ut sciamus ea maxime
 omnium uera & seria esse. Præterea,
 quod docet, cõfirmatum est aliàs tam
 promissionibus quàm miraculis, &
 publicis exemplis. Psal. 1. Et erit tan-
 quàm lignum quod plantatum est se-
 cus decursus aquarum, quod fructu
 suum dabit in tempore suo; & folium
 eius non defluit, & omnia quæcunq;
 faciet prosperabuntur. Et Psalm. 36.
 Salus iustorum à Domino, & prote-
 ctor eorum in tempore tribulationis,
 Et adiuuabit eos Dominus, & libera-
 bit eos.

Miracula sunt, liberatio Israëlitæ-
 rum ex Aegypto & mari rubro, libe-
 ratio Davidis è manu Goliath, & infi-
 nita alia, de quibus etiam supra dixi-
 mus.

mus. Sed Deus adumbravit hoc (uis
delicet, quod mœror discipulorum
Christi sit pregnans gaudio) etiam in
rebus naturalibus, unde & proponit
Christus mulierem prægnantem. De
us enim ita ordinavit, ut mulier pari-
at in dolore, sed dolorem sequitur in-
gens gaudium. Etsi enim mulier in-
terdum iniqua est, tamen partus est
ordinatio Dei. Ergò cum mulier uer-
satur in partu, uersatur in ordinatio-
ne Dei, in qua fit, ut mœror uertatur
in gaudium.

Sic Deus etiam in alijs rebus natu-
ralibus adumbravit coram oculis no-
stris, quid mœror piorum sibi uelit.
Proposita est nox, & tenebræ eius,
Sed si recte iudicaueris, nox est præ-
gnans die, & quo obscurior est nox,
eo illustrior redditur dies. Sic propo-
sita sunt æstas & hyems. Hyems au-
tem prægnans est æstate, & quo fri-
gidior est hyems, eo meliorem dicunt
fore æstatem. Si hoc re ipsa sentimus

Wann es
wol Wint
tert/ so
Summert
es auch
wol.

DE POENITENTIA

in cursu rerum naturalium, cur non
idem etiam uidemus & iudicamus in
afflictione & gaudio? Quare omnino
sentiendum, quod omnis moeror piorum
prægnans sit constanti & perpetuo
gaudio. Et unde obsecro hoc accidit?
In rebus naturalibus, quod nox sit præg-
nans die, inde adeo accidit, quia Deus
ita creauit et ordinauit solem, ut redu-
cat mundo diem. Sic etiam in afflictio-
ne & gaudio, quod moeror piorum sit
prægnans gaudio, inde accidit, quia
Christus resurrexit à mortuis. Iterum,
inquit, uidebo uos, & gaudebit cor
uestrum: hoc est, Mea resurrectione
efficiam, ut perpetuo gaudeatis. 2. Ti-
mot. 2. Memento Iesum Christum re-
surrexisse à mortuis. Timotheus enim
multis aduersis affligebatur. Paulus igitur
adhortaturus ipsum ad bonam spem,
paucissimis ait: Memento Christum
resurrexisse. Hoc nihil aliud est, quam si
dixisset: Resurrectio Christi efficit, ut
aduersa nostra optimè cedant: nos enim
Christo

Christo sumus per fidem incorporati. Christus autē effugit omnia mala. Ergo gaudium, inquit, nemo tollet à vobis. Nulla em̄ creatura potest nos separare à Christo. Ergo dum in Christo sumus, sumus etiā in resurrectione. Exemplo sunt Apostoli, qui postquam Christus resurrexisset, tantam animo læticiam conceperunt, ut nulla creatura potuerit eis læticiam auferre. Eijciebantur in exilium, proscribentur, in carceres includebantur, occidebant, attamen semper læto erant animo & cōscientia. Vide Paulum & Silam in carcere gaudentes. Apostoli à cōcilio flagris cæli gaudentes ibant. Stephanus inter lapides læto erat animo. Vnde id accidit. Ex resurrectione Christi, cuius erant ipsi per fidem participes. Quare hoc agamus, ut simus pii, ac per fidem discipuli Christi, ut uersemur in uocatione Dei, sic enim resurrectioni Christi incorporati, omnis nostra mœsticia prægnās erit per

DE POENITENTIA

perpetuo gaudio in Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto laudandus Deus in secula, Amen.

HOMILIA DVODECIMA.

De bonis operibus.



Aboluimus superioribus concionibus partes poenitentiae, praeterea sacramenta poenitentiae, quae sunt Baptismus & Coena Domini, uidelicet quod ad agendam ueram poenitentiam requiratur, primum omnium, ut agnoscamus peccata, quod propter ipsa meriti sumus aeternam damnationem, ac doleamus de peccatis, odioque habeamus. Deinde additum est, quod non sufficiat, ut amplius non peccemus, sed exigatur, ut credamus quod peccata nobis remissa sint propter Christum. Et ut hanc fidem confirmemus, sumenda sunt sacramenta. Ad haec, licet ad ipsam poenitentiae substantiam, qua habetur remissio peccatorum nihil amplius

plius requiratur, si modo uera fuerit fides, tamen ad conseruationē & fructum poenitentiae adhuc alia quoque necessaria requiruntur. Non enim sufficit, ut deinceps mala opera omittas, sed exigitur etiā, ut mala aduersa patienter feras, & cruce ac afflictionibus exercearis, id quod in proxima conatione explicuimus: Deinde exigitur etiam, ut bona opera facias, ut quam iusticiam in Christo per fidem accepti, eam operibus demonstrēs & comprobēs. Ioannes ait: Progenies uiperarum, quis uobis submonstrauit, ut fugerētis à uentura ira? Facite igitur fructus dignos poenitentiae. Dicendum igitur nobis erit de fructu poenitentiae, seu de bonis operibus, ut intelligamus, quā necessariò bona opera faciendā sint. Sed priusquā bonorum operum rationem exponamus, amouendus est scrupulus, qui de peccatorum operibus auditorem turbare posset. Dicimus enim non esse

DE POENITENTIA

Peccatum natura homini inherens quomodo compescendum.

peccandum, & necessario requiri, ut non peccamus, eumque qui peccet, non esse Christi, interim tamen affirmamus nos semper gestare peccatum in carne & sanguine nostro, ac semper peccare usque ad sepulturam. Quomodo hæc conveniunt? aut quis est Christi, si hæc vera sunt? Hic ergo observandum est, quod quivis homo affert in carne & sanguine suo originale peccatum, quod est, carere natura sua spiritu sancto, esse contemptorem Dei, esse incredulum, esse impatientem, esse osorem proximi, adeoque omnibus peccatis & sceleribus esse obnoxium. Hoc peccatum in Baptismo per fidem in Christum expurgatur quidem, quantum ad reatum attinet, sed non quantum ad actum, manet actus, et transit reatus, hoc est, Et si reliquum adhuc est peccatum, non tamen imputatur. Exigitur autem, ut compescamus hoc peccatum, ne erumpat in sua facta, et iniiciamus frenum, ne pro libidine sua

sua nobis dominetur, Nam quemadmodum generosus equus natura sua animal est ferox & indomitum, ut autem dometur, iniiciendum est frenū, imponendus est sessor, qui ferociam equi compescat & regat. Quod si equus liberetur à freno & sessore, hīc iam uideas equum plane ad naturæ suæ ingenium redire, ac ferocire. Sic & homo natura sua est ferox ad patrandā quæuis scelera, & hæc ferocia manet in homine dum uiuit, Sed ne agat pro libidine suæ ferociæ, iniiciendum est frenum Christi, frenum fidei, imponendus est sessor Spiritus sanctus, qui compescat hominis ferociā, & gubernet hominem iuxta uoluntatem Dei. Itaq; manet in nobis semper peccatum, attamen huic peccato non est indulgendum. Rom. 6. Ne regnet (inquit Paulus) peccatū in mortali uero corpore, ut obediatis illi per cupiditatem eius, Sed accommodemus membra nostra, membra iusticiæ. Ac

DE POENITENTIA

cōmodabimus autē ea iusticiā, si auto
re Spū sancto, bona fecerimus opera.

*Opera bona
facienda quæ*

Primū ergo uidendum est, quæ
sint illa bona opera, quæ faciēda sunt.
Non enim loquimur de quibusuis o-
peribus, quæ hypocritæ nullo manda-
to aut uerbo Dei sibi ipsi faciēda eli-
gunt, ut sunt peregrinationes, missæ
Papisticæ, incessus nudipes, *μετριο-*
& id genus reliqua. Sed opera bona
dicimus, quæ Deus uerbo suo, præser-
tim in decalogo, præcepit, ut sunt, no-
mine Dei non abuti, Item sacras con-
ciones audire, parentes honorare,
nō inuidere, nulli imponere &c. Item
sobriam uitam agere, eleemosynam
dare &c. hæc uocamus bona opera,
& ista opera pœnitentiæ ita inharēt,
ut non sit uera pœnitentia nisi hæc o-
pera sequantur. Nam ubicunq; est ue-
ra fides, ibi est peccati agnitio: ubi au-
tem est peccati agnitio, ibi est & abo-
minatio peccati, si non ob aliam cau-
sam, certē propter magnitudinem æ-
terni

eerni supplicij. Qui autem abominatur peccatum, fugit etiam peccatum.

Ad hæc ubi est uera fides, ibi est et spiritus sanctus. Rom. 8. Vos estis in spiritu, siquidem spiritus Dei habitat in uobis. Quod si quis non habet spiritum Christi, hic non est eius. Spiritus sanctus autem non est ociosus, sed efficax & operosus. Quare ad pœnitentiam necessario sequuntur bona opera. Vnde & decalogus non solum in hoc datus est, ut agnoscamus peccata, sed etiam ut agnoscamus quæ sint opera placentia Deo, & qui sint ueri fructus pœnitentiæ. Deu. 12. ait: Non facietis singuli quod sibi rectum uideatur, sed hoc quod ego præcipio tibi, facias domino tuo, nec addas quicquid nec diminuas. Et in Euangelio: Si uis ingredi in uitam, serua mandata Dei. Mandata autem Dei continentur in decalogo tanquam in breui quodam cõpendio. Quare ex decalogo discendum erit, quæ sint uerè bona opera.

Decalogus.

DE POENITENTIA

Deinde uidendum erit, q̄ illā bona opera necessario sint facienda. Ac nō sunt quidem facienda propter hanc causam, ut expient peccata nostra, & mereantur æternam uitam. Sunt em̄ imperfecta, & solus Christus expla- uit peccata, sed facienda sunt propter multas alias necessarias & utiles cau- sas. Primūm, quia Deus præcepit ut bona faciamus opera. Nunc si nulla alia causa, aut utilitas esset, q̄ q̄ Deo placeat obedientia, certē obsequen- dum esset, ne minores aut inobedien- tiores essemus reliquis creaturis. O- mnes enim reliquæ creaturæ, siue in cœlo siue in terra obseruant ordina- tionem Dñi Dei sui. Ordinatus est sol ut luceat interdū, Ordinata est luna ut uicibus suis illuminet noctē, Hanc ordinationem diligentissimē obser- uant. Ordinata est aqua ut deorsum labatur, & uides aquam non ascende- re sursum, nisi uiolentia compellatur &c. Solus homo est, qui post Satanā,

magis

*Creaturariū
obedientia
erga Deum.*

magis quam omnes reliquæ creature
 uiolat ordinationem Dei. Est autem
 ordinatus ad facienda bona opera.
 Hæc igitur deberet facere, etiam si ni-
 hil præterea aliud accederet.

Sed sunt adhuc multæ causæ, pro-
 pter quas bona opera facienda sunt.
 Deinde enim bene operandum est,
 quia nō potest esse fides in ijs, qui nō
 faciūt bona opera, fides enim iusti ho-
 minis est, ut anima uiuentis hominis.
 Iustus enim, inquit Propheta, ex fide
 uiuet. Ut autem anima hominis semper
 secum adfert opera anime seu uite, ita
 fides semper adfert secum opera iu-
 sta, quæ sunt à Deo præcepta. Præte-
 rea fides est ut lumen accensum: fieri
 autem nō potest, ut accensum lumen
 non adferat secum lucem. Sic & uera
 fides, quæ est lumen à Spiritu sancto
 accensum, mox erumpit in opera, un-
 de prima Ioannis tertio dicitur: Qui
 committit peccatum ex diabolo est,
 quoniam ab initio diabolus peccat, et

*Fides, anima
 hominis iusti.*

Fides, lumen.

DE POENITENTIA

omnis qui natus est ex Deo, peccatū non committit. Et 1. Ioan. 4. Qui dixerit diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est: qui enim non diligit fratrem suum quem uidet, Deum quem non uidet, quomodo potest diligere? Bona igitur opera à Deo præcepta necessaria sunt ad poenitentiam, & qui ea non fecerit, non est poenitens, hoc est, neque rectè agnoscit peccata, neque rectè credit. Et Roma. 6. ait Apostolus: Sepulti sumus cum Christo per baptismū in mortē, ut quem admodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita et nos ambulemus in nouitate uitæ. Quare qui non ambulat in bonis operibus, manifestum habet argumentū, quòd non habeat ueram fidem. Vbi autem non est uera fides, ibi adhuc sunt peccata & perpetua damnatio. Ad hæc, bona opera facienda sunt, quia etsi ueram habes fidem, tamen si non exerces fidem bonis operibus, amittis fidem,

Fides exercenda.

dem, adeoq; ipsum Christum. Rom. 8. Si secundum carnem uixeritis, moriemini. Sic Dauid habebat quidem ueram fidem antequam peccaret ad ulterio & homicidio, postquam autem permittebat, ut peccatum regnaret, amisit fidem & spiritum sanctum, donec resipisceret. Quare etiam propter hanc causam bene operandum est, ut cōseruemus fidem & spiritum sanctum.

Deinde benè faciendum est, propter promissiones. Deus enim promisit bonis operibus nostris, nō quidem q̄ sint merita expiationis peccatorū, & recōciliationis cum Deo, sed postquam reconciliati sumus, promisit bonis operibus sua præmia tam in hoc seculo q̄ in futuro, in hoc enim seculo donat Deus propter bona opera pacem publicam, abundantiam rerum, sanitatem, & alia huius uitę cōmoda. Honora, inquit, parentes, ut longo uiuas tempore. Et si audieris uocem

DE POENITENTIA

Dei tui, benedictus eris in ciuitate, benedictum horreum tuum &c. Deut. 28. Et Ephes. 5. Propter hæc uenit ira Dei in filios inobedientes. Si propter externa peccata uenit ira Dei in hunc mundum, sequitur quòd propter externam iusticiam ueniat fauor Dei de corporalibus bonis. Exemplum in lehu 4. Regum 9. In Ezechia 4. Regum 20. In Cyro, Esaia 45. Quare etiam si nulla esset uita post hæc uitam, tamen bene operandum esset, ut consequeremur huius uitæ commoda. Nunc autem nihil certius est, quàm quòd sit etiam uita post hæc uitam, & Deus receperit se in ea compensaturum bona opera. Reddetur, inquit, unicuique iuxta sua opera. Matthæi 5. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in coelis. Et Lucæ 14. Cùm facis conuiuium, uoca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non possunt rependere tibi, rependetur enim tibi in resurrectione

surrectione iustorum. Rependetur autem non ex merito nostro, sed ex clementia Dei propter Christum, cuius causa Deus agnoscit nostram obedientiam etsi imperfecta fuerit. Præterea bona opera facienda sunt à nobis, quia Deus condidit nos in hunc usum, (ut Paulus ait) ut ambulemus in bonis operibus, hæc est uocatio nostra. Est autem uocationi obediendū & satisfaciendum.

Postremò, bona opera facienda sunt ad gratitudinem animi nostri declarandam. Deus enim contulit nobis ingētia beneficia propter Christum, & exigit gratitudinem, quam declaramus non uerbis tantum, sed etiam operibus. Quare cū tanta sit necessitas & utilitas faciendi bona opera, quæ Deus præcipit, agite amicissimi, obsequamur uoluntati Dei, & ambulemus in bonis operibus, ut quod fide accepimus, obedientia & gratitudine conseruemus in Christo Iesu

DE POENITENTIA

Domino nostro, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto laudandus Deus in secula, Amen.

HOMILIA DECIMATERTIA.

De ieiunio.



Actenus Pœnitentiæ & sacramentorum Pœnitentiæ rationem explicuimus, quibus fides confirmatur & augetur, deinde etiam fidei fructus, qui sunt mala ferre & bona facere, tractauimus. Nunc uidentur erit, ad quid alij ritus Ecclesiastici sint utiles. Vt autem id commodè faciamus, & ad ueri Christianismirationem illos exigamus, Primùm omnium obseruemus, in quo consistat pius Christianismus, & in quo impius Papatus. Deinde, quòd ritus Ecclesiastici sint impij, si impia opinione Papatus sordidentur: sint autem piij, & Ecclesiæ ualde utiles, si ita ipsis utamur, ut à Deo creati & ordinati sunt. Non de rebus friuolis, aut nihil ad Ecclesiam

eleſiam pertinentibus, agimus, ſed de
 rebus maximis & grauiffimis. Pro-
 inde attentis animis & auribus obser-
 uemus, quid de his eſt ſacra ſcriptura
 diſſeratur. Ergo cum de Chriſtianis-
 mo propriè loquimur, non eſt ſentia-
 endum quòd fides Chriſtiana conſtet
 in externis ritibus Eccleſiaſticis, ſcilia-
 cet, ut qui faciat hos ritus, quibus nunc
 in Eccleſia utimur, ſit uerus Chriſtia-
 nus, Qui uerò non faciat, non ſit ue-
 rus Chriſtianus, Abſit ut ſic ſentia-
 mus. Sed fides Chriſtiana conſtat in
 hoc præcipuè, ut credamus, quòd nul-
 la noſtra iuſticia conſtare poſſit in iu-
 dicio Dei, nec nos poſſimus pro pec-
 catis noſtris ſatisfacere, ſed quòd ſo-
 lus Ieſus Chriſtus ſit expiatio pro pec-
 catis noſtris, & placauerit nobis De-
 um, & nos reputemur iuſti, tan-
 tum propter Chriſtum gratis per fi-
 dem, ex qua fide oriuntur deinde per
 Spiritum ſanctum bona opera iux-
 ta præcepta Dei: non ut his operibus

DE P O E N I T E N T I A

satisfaciamus pro peccatis, sed ut de-
claremus fidem nostrā Deo obediē-
do et proximo benefaciendo. Hęc est
sentētia Christianismi, qua sola saluan-
tur quotquot salutem cōsequuntur,
Vnde Christus ait Ioan. 3. Qui credit
in filium non condemnabitur, qui ue-
rò non credit, iam condemnatus est.
Et iterum Ioan. 17. Hęc est uita æter-
na, ut cognoscant te solum Deum ue-
rum, & quem misisti Iesum Christū.
Sed quid pluribus testimonijs opus
est? tota scriptura testatur, neminem
posse ad Deum accedere, & salutem
habere, nisi per Iesum Christum in
fide.

Cū autem ex altera parte de Pa-
pistica religione propriè iuxta doctri-
nam hypocritarum loquimur, simili-
ter nō est sentiendum q̄ Papistica im-
pietas constet in externis tantūm riti-
bus & ceremonijs Ecclesiasticis, scili-
cet, quòd qui nō uescatur carnibus in
quadagesima, is sit impius, qui uerò
uescatur,

uescatur, is sit pius. Aut qui enumerat peccata sua coram sacerdote, is sit Papista, qui uerò non enumerat, is sit Euangelicus. Aut qui utat̃ ueste missatica, is sit Papista, qui uerò hæc non faciat, is sit Euangelicus &c. Absit ut hæc sentiamus, Sed Papistica impietas in hoc cõstat, quòd opera nostra, quæ nos facimus, uel ex p̃ceptis Dei, uel ex adinventionibus nostris, sint satisfactiones pro peccatis, placationes iræ Dei, & merita uitæ æternæ. Nam quòd Papatus in hoc constet, ipsa doctrina hypocritarum de Missa comprobatur. Missam enim docent esse satisfactionem pro peccatis uiuorũ & mortuorum, propter operis ipsius actionem. Huc accedit doctrina de satisfactionibus & purgatorio, ac de multis alijs rebus, adeoq; in hoc præcipuè & maximè omnium differt Papatus à uero Christianismo, q̃ ea quæ pertinent ad maiestatem Christi, ut expiatio peccatorũ, iusticia, placatio iræ

In quo Papistica impietas constat.

Papatus & Christianismus in quo differant.

DE P O E N I T E N T I A

Dei, & meritum uitæ æternæ. Hæc
 transtulit Papatus ad opera à nobis
 facta, uel iuxta præcepta Dei, uel iux
 ta adinuentiones nostras. Nihilq̄ adeo
 minutū fuit, in quod non fuerit transla
 tum officium Christi. Si quis genua
 flexerit coram aliqua imagine, habuit
 suas indulgentias. Reuoces in memo
 riam (ut de nobis et nostri templi situ
 loquar) gradus, qui sunt pro foribus
 templi nostri, tot enim habuisti dies
 indulgentiarum, quot gradibus à fo
 ro ad templum ascendisti. Ac ipsi qui
 dem gradus non sunt religio Papistis
 ca, nec ipse ascensus est religio Papisti
 ca, Sed hæc appendix, uidelicet, quòd
 ascensus sit expiatio pro peccatis etc.
 est religio Papistica. Habes igitur nō
 ipsa opera, sed peruersas opiniones in
 operibus esse Papatum, ac præsertim
 hanc opinionem, quòd opera sint sa
 tisfactio pro peccatis, & meritum ui
 tæ æternæ, & in hac opinione conuen
 iunt Papatus, Iudaismus, Turcismus
 &

*In quo falsæ
 religiones
 conueniunt.*

& Ethnicismus. Hæ enim religiones omnes transferunt maiestatem, quæ soli Christo debebatur ad opera & iusticiam humanam. Vnde da mihi quatuor viros, alium verè Christianum, alium Iudæum, alium Papistam, alium Turcam, Hic in uno eodemq; opere diversæ sunt religiones. Exempli gratia: In distribuenda elemosyna, unus quisq; dat pauperi aureum numum, sed alius alia opinione dat, ideo aliter quoq; de ipso opere iudicandum est. Christianus dat elemosynam, non ut satisfaciat hoc opere pro peccatis, sed ut testetur fidem suam in Christum, & obediat uocationi Dei, ac beneficiat proximo. Alij autem dant elemosynam, ut satisfaciant hoc opere pro peccatis, & mereantur vitam æternam. Constat igitur religio non in operibus externis, sed in fide.

Habemus paucissimis de ritibus Ecclesiasticis & vera ratione Christianismi & Papatus. Nunc audlemus de

DE POENITENTIA

his ritibus pauca quædam, quantum
 quidem ad institutum nostrum satis
 uidebitur. Et primùm de ieiunio et eius
 ratione. Ac principio an sit ieiunan-
 dum. Deinde quod sit ieiunium,
 Postremò quod sit uerum ieiunium,
 & quis sit uerus eius usus. Principio
 itaq; an sit ieiunandum, nulla est con-
 trouersia: omnes enim religiones in
 hoc conueniunt, qd sit ieiunandũ. Tur-
 ca ieiunat, ludæus ieiunat, Papista iei-
 unat, uerus Christianus etiam ieiunat.
 Sed de hoc contenditur, quomodo
 & in quem finem sit ieiunandum.
 Cæterum, duplex ieiunium esse com-
 perimus. Alterum, necessarium & di-
 uina administratione nobis impositũ:
 Alterum, uoluntarium & nostra spon-
 te assumptum, nihilominus tamẽ nos-
 bis ad suum finem necessarium. Ieiunium
 igitur diuina administratione
 nobis impositum, illud est, cum pro-
 pter egestatem & penuriam ciborũ
 necesse habemus sobriè uiuere, ac pa-
 ne

Ieiunium.

Ieiunium duplex.

ne tantùm & aqua ali. Horum ieiunatorum hodie multi sunt, qui famem patiuntur propter egestatem, qui nō possunt cibos necessarios habere; licet hoc ieiunio impij pessimè abutantur, murmurando aduersus Deum, furando, & alia mala designando: sed p̄ hoc ieiunium sibi utilissimum reddunt patienter ferendo, scientes Deum præstiturum ipsis omnem saturitatem. Vnde Esaiæ 66. dicitur: Super quem respiciam nisi ad pauperculum & contritum corde, & tementem sermones meos? Quis autem (præter agnoscentes peccata sua) magis spiritu conteritur, quàm famelici, & esurientes, qui non habent quod edant? Quare hi à Deo respiciuntur. Primo Regum secundo: Repleti prius panibus se locant, & famelici saturantur. Et in Cantico Mariæ Lucæ primo: Esurientes impleuit bonis. Et Matth. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt, Et quod Dominus uerbis asseuerat,

DE POENITENTIA

hoc factis confirmavit. Israëlita in deserto ieiunabant, hoc est, esuriebant & sitiebant, igitur Dominus eos saturavit. Et potuisset Dominus è petra tam facile effundere uinum Creticum, quàm aquam. Similiter potuisset è cœlo mittere delicatas carnes, sed uoluit aquam & manna dare, ut ostenderet esurientibus & sitientibus, quòd non in solo pane uiuat homo, sed in omni uerbo Dei, hoc est, quòd Dominus què bene per exilem panem, ac per delicatos cibos sustentare possit eos, qui ambulant in sua uocatione. Sic 3. Regum 19. Eliæ per angelum proponit Deus panem sub cineribus et uas aquæ, Cur non phasianos & uinum Creticum? potuisset quidem, sed uoluit esurientibus ostendere, se non minus nutrire homines per paucum & uilem panem, quàm per multa & delicata cibaria. Nam in fortitudine cibi illius ambulauit Elias quadraginta diebus & noctibus usque ad montem Dei

Dei Oreb. In Daniele tres pueri ex leguminibus saginantur plus quàm omnes alij regij pueri è cibus regijs. Quia enim ex obedientia Dei abstinebant à cibus uetitis, ideo dedit Deus incrementum sub pulmento. Quare cùm ieiunium à Deo impositum habeat præsentem Deum & benedictionem eius, certè ieiunium sanctum est, & pius potest eo uti ad maximam suam utilitatē.

Alterum ieiunium est uoluntarium, quod quis sua sponte sibi assumit, & hoc quoque nobis necessarium est. Quantum igitur ad hoc ieiunium attinet, hætenus sollemnis mos fuit publice et priuatim in Ecclesia, quod ritibus suis obseruatum sit ieiunium, ut uocant, quadragesimale continuis quadraginta diebus: quod quidam uoluerunt statui exemplis Christi, qui ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus: Moysi, qui similiter ieiunauit quadraginta diebus, & totidem noctibus allaturus Decalogum:

Ieiunium quadragesimale.

DE POENITENTIA

& Eliæ fugientis reginam Isabellam, qui sine cibo & potu ambulauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus usq; ad montem Dei Oreb. Ac semper quidem ita nobis ieiunandum est, ut nunq; non ducamus sobriam uitam. Cauete, inquit Christus Lucae 21, uobis, ne quando grauentur corda uestra crapula & ebrietate ac curis huius uitæ. Et Paulus: Abijciamus, inquit, opera tenebrarū, & induamur arma lucis, tanquā in die compositionis & ebrietatibus. Quod aut Christus & Apostolus eius Paulus præcipiunt, hoc non quadraginta tantum diebus, sed toto uitæ nostræ tempore præstandū est. Ex his uerò exemplis, quæ de Christo, Mose & Eliæ commemorauimus, ieiunium quadragesimale instituere, & sub peccato mortali obseruandum præcipere, nihil aliud est, q̄ præcipere, ut exemplo Christi & Eliæ mortuos in uitā reuocemus,
&

& exemplo Mofi mare rubrum uirga diuidamus, ac è petra in deserto aquam extorqueamus. Vt enim hæc miracula sunt non humanis uiribus, nec uulgaribus, sed specialibus donis spiritus sancti edita, ita ieiuniũ illud, quo Christus, Mose & Elias quadraginta diebus ieiunârunt, nõ fuit naturale (quippe quòd inedia homini post septimum, aut ad summum post undecimum diem naturaliter letalis sit) sed planè supra rerum naturam, & admirabile ac stupendum opus Dei. Quis autem hũc exactorem in Ecclesia Domini ferret, qui non solum ea, quæ Christus aut Prophetæ è uerbo Domini docuerunt, uerum etiam ea, quæ admirabiliter iuxta specialium donorum suorum prærogatiuas fecerint, ab hominibus exigeret? Ea quidè, quæ lex Domini præcipit ac mandat, omninò facienda sunt. Quæ autem sancti admirabiliter iuxta dona sua specialia ad confirmandam uerita

DE POENITENTIA

tem uerbi Dei gesserunt, proposita sunt nobis, non ut ea operibus imitemur, siquidem ne possumus quidem, sed ut ihs diuinam potentiam agnoscamus & admiremur, ac fidem nostram stabiliamus. Quare ineptissimum est e ieiunio Christi, quadragesimale ieiunium Ecclesiae Christi obtrudere, & si addas hanc opinionem, quod hoc opere satisfacias pro peccatis tuis coram Deo, longè omnium impiissimum est. Ceterum nemo expectet me nunc plura dicturum de spirituali seu allegorico ieiunio, uidelicet, ut ieiunemus à uitijs, abstinemus à peccatis, & non sectemur cupiditates carnis nostrae. Hoc allegoricum ieiunium nunc non obseruandum est, etiam in medijs coenis, & quoties admonemur ad sectandam poenitentiam, et fugienda peccata, toties etiam ad hoc ieiunium uocamur. Sed dicemus praecipue de ieiunio corporali, quod est externa cibi & potus abstinencia. Fuit autem hactenus consuetudo

Ieiunium spirituale seu allegoricum.

do in publicis illis ieiunijs corporali-
 bus, ut obseruaretur abstinentia cibi
 usq; ad undecimam horam diei, ad qd
 tempus licuit cibum sumere quātum
 libebat, & deinde ad uesperam simili-
 ter nonnihil cibi ac potus degustare
 concessum erat. Et hoc ieiuniū obser-
 uatum fuit, ea opinione, ut esset opus
 quo expiarentur peccata nostra corā
 Deo. Sed hoc ieiuniū pro more Papi-
 stico, ut uocant, & hypocritico sic ob-
 seruatum, nec conueniens fuit exem-
 plo Eliæ, Mosi & Christi, nec ieiunijs
 in lege institutis, nec doctrinæ Euan-
 gelicæ, a deo q; nulli uerę pietati. Pri-
 mū, q; non conueniat exemplis Pro-
 phetarum & Christi satis suprā osten-
 sum est. Deinde nec conuenit cum ie-
 iunijs legalibus, quia iuxta consuetu-
 dinem legis ieiunandum fuit per to-
 tum diem usq; ad uesperam. Nostri
 autem ieiunârunt tantūm usq; ad me-
 ridiem. Et hęc mihi uide astutissima,
 aut potius stultissima hypocritarum

*Quale fuerit
 ieiunium Pa-
 pisticum.*

*ieiunium le-
 gale.*

DE POENITENTIA

Horologia ue-
terum.

cōsilia. Nam cū uidissent, quōd pro
more legis ieiunandum esset usq; ad
uesperam, reiecerunt lectionem aut
cantum uesperæ in meridiem, ut can-
tatis uesperis, liceat ipsis cibum sume-
re, ne uiolent ieiunium. Præterea hor-
ologia ueterum more, numerârunt
horas à principio diei, ut cū dies ue-
na hora luxisset, signabatur una ho-
ra, deinde secunda, & sic deinceps. I-
taq; factum est, ut undecima hora es-
set ultîma ferè diei hora in uespera,
(quemadmodum parabola de his qui
in uinea laborârunt significat) præser-
tim tempore quadragesime, quod ob-
seruari solet circa æquinoctium uer-
nale, cū & noctes sunt æquales die-
bus. Nostri autem numerauerūt diei
horas à mediâ nocte, unde factū est,
ut hora undecima peruenerit in meri-
diem, Qua hora soluentes ieiunium.
existimauerunt se Deo & legi satisfe-
cisse. Quid autem hoc astu impudens-
tius, tū ab hominibus ratione aliqua
præditis,

præditis, tum coram Deo, fieri potuisset? An non insanus quispiam intelligere potest, nondum esse uesperam, etiamsi preces uespertinæ sint in meridie dictæ, & hora undecima in horologio harum regionum sit audita? Næ stultus esset Deus noster, qui ad hunc modum sibi imponi permitteret? Sed hic astus quamuis stultissimus, similis uidetur huius uafriciei, qui cum pactus esset cum hoste inducias triginta dierum, noctu depopulabatur agros, affirmans se dies, non noctes pactum esse. Idem planè dolus in hypocritis uidetur, qui obtruserunt Deo medium diem pro die, propterea quòd uesperæ preces dictæ, & hora undecima audita esset: quid hac cæcitate magis cæcum? Hoc igitur ieiunium nec cum lege conuenit.

Ad hæc, non conuenit cum consuetudine ueteris Ecclesie, ut uides in Spiridone: Is enim cum peregrinum in quadragesima suscepisset, ac eum

Spiridon.

DE POENITENTIA

lassum, & defatigatum uideret, Laua
 (inquit ad filiam suam) peregrini pe-
 des, & cibos appone. Cumq; puella
 dixisset nihil cibi recōditum esse pro-
 pter ieiunium, iussit ut porcinas car-
 nes, quas domi salitas habebat, coque-
 ret, quibus coctis, sedens cum pere-
 grino positis carnibus uescebatur, &
 rogabat peregrinum, ut unā secum
 ederet, quo refutante, Christianumq;
 se profitēte: Propterea magis, inquit
 Spiridon, refutare non debes, Ego
 quoq; Christianus sum, omnia enim
 sunt munda mundis, sicut sermo diui-
 nus edocuit. Qua uoce Spiridon pie-
 tatem, prudentiam & uerum Chri-
 stianæ libertatis usum significauit.

Postremò, non cōuenit etiam cum
 doctrina Christiana, q̄a doctrina Chri-
 stiana docet perpetuam sobrietatem,
 quemadmodum postea audiemus.
 Vnus autem dies ieiunij Papistici, efa-
 fecit tres dies erapulæ, quemadmodū
 habet prouerbiū, Docet etiā quòd
 tanā

Ein Fast-
 tag/drey
 Fülltag.

tantum passio Christi explauerit peccata nostra. Cum igitur hac opinione ieiunatum sit, ut hoc opere satisfiat pro peccatis, certe tale ieiunium ex diametro pugnat cum Christiana religione, & quantum attinet ad hanc opinionem, impium est. Habes quale fuerit ieiunium Papisticum.

Quid ergo faciamus? nullum ne plane ieiunium obseruandum est? Absit. Sic enim abusus reijciendi sunt, ut tamen conseruemus ueros rerum usus, & honestam uitam ac morum disciplinam. Hypocriticum ieiunium nullum est, Sed sobrietas aliquid est, imo Christiano homini necessaria est. Et cum sit omni tempore necessaria, tamen *Sobrietas necessaria homini Christiano* praecipue est necessaria, cum audiendum est uerbum Dei, cum discenda est religio Christiana. Nam, ut accipiamus & conseruemus fidem, ut consequamur iusticiam, ut sectemur uocationem Dei, ut perueniamus ad regnum caeleste, necessarius nobis

DE POENITENTIA

Vnum neces-
sarium, audi-
tus Verbi
Dei.

est auditus uerbi Dei, necessaria est doctrina fidei. Vnū, inquit Christus, necessarium est, uidelicet, audire uerbum Dei, & ueram religionem tenere. Et huic uni necessario omnia in his terris seruiunt & cedunt. Laborant artifices & agricolæ, quare & ut consequntur uictum. Rectè. Sed ad quid uictus prodest? ut ducamus uitā corporalem. Bene. Ad quid autem uiuimus? num ut sectemur ocium & peccemus? Non certè, sed ut discamus Deū cognoscere, & ut sectemur pietatem. Vnde autem discimus Deum & pietatem? certè ex uerbo Domini. Ergo quod laboramus, quod uictum quærimus, quod uiuimus, quod terra profert frumentum, omnia seruiunt auditui uerbi Dei. Hoc enim necessarium est. Publici magistratus ordinati sunt: quam obrem? num ut ipsi ocientur? Nequaquam, sed ut pacem conseruent. Sed ad quid pax? Num per se sufficit, & suo hoc fine contenta est? non, sed da-
tur

tur pax, ut discamus Deū cognoscere, et pietatem sectari. Iam et bellatur interdum, nō quia bellum sit finis humanarum actionum, sed ut pax cōseruetur, & ut pace cōseruata cognoscatur Deus & discat pietas. Hæc autē cognoscunt ex auditu uerbi Dei. Quare etiam Magistratus auditui uerbi Dei, & discipline Christiane seruit. Atque hoc leges ipsę magistratum intellexerunt. Nam cū uerbum Dei precipue diebus dominicis & alijs quibusdam festis explicet, cesserunt leges et mandant, ut his diebus horrida uox præconis silescat, & fora iudicialia ferias habeant. An non publicū iudiciū exercere sanctū est? recte. Cur ergo cedit diebus dominicis? ut significet hoc unum, uidelicet, audire uerbum Dei, necessarium esse. Iam manifestū est q̄ crapule & ebrietates reddāt homines ineptos ad audiendum uerbum Dei. Pinguis uenter nō gignit sensum tenuem. Nihil ita obruit animū ut ple

*Leges cedūt
auditui uerbi
Dei.*

*Crapula &
ebrietas uita
tanda.*

DE POENITENTIA

nus uenter & cibo exæstuans. Esa. 5.
 dicitur: Cithara & lyra & tympanum
 & tibia & ulnum in cōuiujs uestris,
 & opus Dñi non respicitis, nec opera
 manuum eius cōsideratis, hoc est, cra
 pula & ebrietas ita obruit mentem,
 ut nō possit intelligere, nec uerba nec
 opera Dei. Ose. 4. Vinum et ebrietas
 auferunt cor. Lucae 21. Cauete à cra
 pula & ebrietate &c. ne superueniat
 in uos repentina illa dies, hoc est, cra
 pula et ebrietas efficiunt, ne aduertat
 aduentum Domini, qui uerbo Dei ad
 nunciatur. Quare ad audiendum uer
 bum Dei, cui omnia seruiunt & ces
 dunt, necessaria est sobrietas. Vnde
 cū in Ecclesia, hoc præsertim anni
 tempore, publicè tractatū sit de poe
 nitentia, & de passione Christi, usur
 pârunt ueteres quadraginta sobrios
 dies, profecto non ad talem supersti
 tionem, qualē hypocritæ sectati sunt,
 sed tantum ad commēdandam sobrie
 tatē, quo homines aptiores essent ad
 percipiendū

percipiendam necessariam doctrinā
 de poenitentia & de passione Christi.
 Neque enim nos Christiani ita alligamur
 ex Euāgelio certis observationibus ci-
 borū, quemadmodum Iudei, sed alliga-
 mur ad sobrietatem. Nota est historia
 Spiridonis, quam supra cōmemoravi-
 mus de esu carnium in quadragesima, quā
 historia digna uisa est maioribus, ut
 posteritati per literas commendaretur,
 & Ecclesia haberet exemplum liberta-
 tis Christianæ. Sic & maiores nostri
 obseruauerunt duos sobrios dies ante
 dñicam, non ex superstitione, sed ut
 magis sobrii cōuenirent ad audiendū
 uerbū Dei, & abstinuerūt his diebus
 à publica uenditione carniū, non ex
 præcepto Dei, sed ut ne darēt occasio-
 nē publicis cōuiuijs & nuptijs. Quid
 autē nunc facimus? Quia repræhendi-
 tur hypocrisis, ideo putant nunc ho-
 mines nullam etiam honestatem et so-
 brietatem obseruandam. Opifices ali-
 qui laborāt per totam hebdomadam

*Feria sexta est
 Sabbatum.*

DE POENITENTIA

manibus. Cùm autem aduenerit sabbatum, hìc tum ingrediuntur balneas, lauant, & instituunt noctu publica conuiuia. Itaq; inebriantur crapula et uino, ut sequenti die dominica ineptissimi sint ad audiendum uerbum Dei: aut enim dormiunt domi, aut uagantur in foro, dũ habetur concio, aut in templo assident stertentes & exhalantes hesternam crapulam. Quid hac re iniquius & scelestius est? Hoc unum, uel delictet, uerbum Dei audire erat necessarium. Et est illud propter quod laboratur & uiuitur, & tu, cùm multũ sudoris effuderis, sceleratè perdis necessarium illud nocturno conuiuio: quæ est hæc infania? Maiestas legum ciuiliũ cedit huic diei, & tu non uis ei cedere tuo importuno conuiuio? Nam si per totam hebdomadam laboraueris, & hoc necessarium neglexeris, perinde est, ac si in agro euellas multo sudore zizania, & frangas glebas, nullum tamen semẽ in ipsam terram

rā proñcias. Quare ut omnia reliqua legitimū usum habeant, sectanda erit sobrietas, præsertim cū audiēda est concio uerbi Dei, quod est unum illud necessarium. Ad hæc, cū opifices per totam hebdomadam & per totum annum sua prophana negocia tractent, & quanquā semper deberent potioem habere curam salutis suæ, quā aliarum rerum, tamen auocantur negocijs suis à cura audiendi uerbi Dei, & ardentem cum Deo colloquendi ac transigendi, ideo institutus est dies dominicus, institutū est tempus quadragesimale, ut unusquisque uel his saltem temporibus agat, quod est sui officij. Iam hoc apud pios semper obseruatum est, ut cū grauissimum aliquod negociū cum Deo tractandum esset, publicum obseruaretur ieiunium, non ad superstitionem, sed ad sobrietatem. 1. Regum 7. Samuel indixit ieiunium, cū impetranda esset uictoria super Philistinos.

Exempla publici ieiunij.

DE POENITENTIA

2. Para. 20. Iosaphat. Ionæ 3. Rex Nini
 uitarum, qui etiam iubet iumenta iei-
 unare, non quòd iumenta cognosce-
 re possent Deum, sed ut homines hoc
 signo de grauitate negocij admone-
 antur. In nouo Testamento Acto. 13.
 ieiunârunt discipuli, ut emitterent A-
 postolos in gentes. Et omnino uaria
 sunt exempla publici ieiunij, quod ob-
 seruatum fuit nō ad superstitionem,
 sed ad sobrietatem. Quare si uolueri-
 mus cum Domino Deo nostro die
 dominica, aut hoc tempore de salute
 nostra pacisci & transigere, necessari-
 um profecto est, ut nos ad sobrietatē
 præparemus. Nihil hīc referam de u-
 tilitate quæ etiam corpori accidit ex
 sobrietate. Nam etiam si corpori offi-
 ceret, tamen quia animę conducit, nō
 solum ad audiendum uerbum Dei, ue-
 rum etiam ad compescendos immo-
 deratos motus animi, & ad omnia ui-
 tæ officia, omnino dāda est opera cui-
 libet pio, ut semper quidem, præcipuē
 autem

autem his temporibus, quibus audienda est doctrina Christiana, præparet se sobrietate, & obedienter suscipiat uerbo Euāgelij Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unā cum Patre & Spiritu sancto laudandus Deus in secula, Amen.

HOMILIA DECIMA QVARTA.

De cantu Ecclesiastico & organo.



Vperiore concione post Sacramentorum & eorum quæ ad sacramenta pertinent rationem, institutum de ritibus Ecclesiasticis dicere, ubi primum explicatum est in quo consistat uerus Christianismus, & in quo impius Papatus constet. Deinde ritus Ecclesiastici impij sint, si impijs opinionibus sordidentur. Ad hæc rationem etiam ieiunij, quod inter ritus Ecclesiasticos haud postremū est, differuimus. Nunc itaq; etiam nonnihil dicemus de cantu Ecclesiastico & organico lusu, quo nunc in Ecclesiæ

DE POENITENTIA

congregatione utimur. Nam cū cō-
 ciones in Ecclesia conseruantur adhi-
 bitis etiam organis, sunt plerique qui
 passim indignantur & uulgant uete-
 rem & Papisticam impietatem in Ecc-
 lesia seruari. Quancūq; autem hi seues-
 ram reprehensionem mereantur, quip-
 pe, quòd tot iam annis Eoāgelion au-
 diuerint, & non didicerint in quo ue-
 re constet Christianismus. Non enim
 constat (ut suprā docuimus) in exter-
 nis ritibus illis Ecclesiasticis, scilicet,
 ut qui hos ritus obseruet, quibus nūc
 utimur in Ecclesia, sit uerus Christia-
 nus, qui autem non obseruet, non sit
 uerus Christianus. Sed Christianis-
 mus constat maximè in hoc, ut creda-
 mus quòd solus Iesus Christus Domi-
 nus noster sit expiatio pro peccatis
 nostris, & placauerit nobis Deum Pa-
 trem, quodq; iusti reputemur coram
 Deo, tantūm propter Christum, idq;
 gratis per fidem, ex qua fide oriuntur
 deinde bona opera iuxta præcepta
 Dei

Dei per spiritum sanctum, non ut illis operibus satisfaciamus pro peccatis nostris, sed ut declarem per hanc fidem nostram Deo obediendo & proximo nostro benefaciendo.

Quantum igitur cantus ipse & organa non parui momenti uideantur, tamen in explicanda horum ratione non parum lucis & adiumenti uero Christianismo adferent. Proinde attentis animis & auribus obseruemus, quid de his rebus est scriptura sentiendum sit.

Nam quod ad cantionum & organa opera attinet, nec iusti nec iniusti propter ipsa simpliciter coram Deo reputamur, nec constat in eis Christianismus nec Papatus. Fuerunt enim in usu priusquam Christianismus in orbe terrarum post Christum & Apostolos reuelatus fuit, & priusquam Papistica impietas incepit. Nam canendi ratio in Ecclesia uetustissimum est institutum, non solum apud nos in religione Christiana, uerum etiam apud Iudae-

Cantiones & organa ad quid conducant.

Canendi ratio.

DE POENITENTIA

os & Ethnicos in sacris congregatio-
 nibus, unde apud Iudæos Psalmi Da-
 uidis & aliorum, apud Ethnicos autē
 carmina lyrica & laudes Deorum ac
 fortium uirorum. Sed qd est omnium
 maximum, Christus ipse unā cum di-
 scipulis suis carmina cecinit, eoq; po-
 tissimum tempore, quo testamētum
 suum instituit, & ad passionem suam
 exiuit. Dicitur enim Matth. 26. Cū
 cecinissent hymnum, exierūt in mon-
 tem Oliuarum, Sic David ipse quoq;
 Psalmos cecinit, & lusit etiā organo,
 ut 2. Regum 6. uidemus. Vnde & in
 Psal. hortat nos ad hæc, inquiens: Lau-
 date eum in sono tubæ, laudate eū in
 psalterio & cithara, laudate eū in tym-
 pano & choro, laudate eū in chordis
 & organo &c. Videndum igitur est
 in quem usum canendi ratio usurpa-
 ta sit. Non est autem usurpata, ut can-
 tus ipse aut organi sonitus sit meritū
 ex operis actione, ad consequendam
 remissionem peccatorum & uitam
 ætera

æternam. Sic enim Iudæi cecinerunt
 carmina sua. Sic Ethnici sua carmina
 concinuerunt, Sic etiã hypocrite Chri-
 ftiani, monachi et sacrificuli cecinerũt
 septẽ horas suas canonicas, uidelicet,
 ut hoc opus, siue intellectum, siue nõ
 intellectum, tantummodo factum, ef-
 set opus meritorium pro peccatis ui-
 uorum & mortuorũ. Sed hæc opinio
 uehementer deuitanda est, obscurat
 enim beneficium & maiestatem Chri-
 sti Iesu Dñi nostri, & trãsfert gloriam
 Christi in opus humanum. Ergo hæc
 non sunt facienda omnino: Nequaquã,
 Sed quod implum est, separandũ est,
 & quod utile fuerit, eo utendum est.
 Omnino enim cauendum, ne idem re-
 præhensionis incurramus, qd Lycurus *Lycurgus.*
 apud Lacedæmonios. Hic enim
 odio temulentiaẽ iussit incidere uites:
 inepte: potuit enim temulentiam alia
 uia prohibuisse, & interim bonum ui-
 ni usum reseruasse. Et apud Roma-
 nos quidã deliberantes de ordinanda *Rom. iiii.*

DE POENITENTIA

Republica consuluerunt, ut omnis usus auri & argenti seu pecuniæ aboleretur. Sic enim putauerunt avaritiam, ambitionem & alia uitia tolli. Stultè potuerunt enim pecuniæ usum seruare, & alia uia reipublicæ consulere. Ita stultum esset omnes ritus Ecclesiasticos, quibus Papistica impietas suam opinionē affixerat, penitus abijcere, cū possimus utile ab impio separare.

Nec etiam ad fallendum tædium temporis in Ecclesia cantus institutus est & organon. Nam quanquā pio homini nihil sit iucundius, quàm pios Psalmos, uel cantare, uel audire, tamen cantus Psalmorum ob lōge maiorem utilitatem, quàm ad mitigandum temporis tædium, institutus est. Quæ est ergo utilitas illorum? Docuimus superioribus cōcionibus de poenitentia & partibus eius, quòd ad percipienda bona regni cœlorum necessaria sit poenitentia. Posuimus etiam tres poenitentię partes, uidelicet, agnitionem peccat

peccatorum, fidem in Christū, & obedientiam in præceptis Dei. Præterea, indicauimus præcipuū organon esse prædicationem uerbi Dei, quo organo spiritus sanctus efficiat & operetur in nobis partes poenitentiae. Si ergo prædicatio oris est organon spiritus sancti, cur nō semper prædicatur ore? cur etiam canitur? Respondeo, cum de prædicatione uerbi Dei loquimur, nō tantūm intelligimus eam prædicationem quæ fit in publicis rostris, sed eam quoq; , quæ fit publicis carminibus Ecclesiasticis. Nam prædicatio generale uocabulum est, & habet sub se multas species. Præcipua autem eius pars est, ea quæ fit in publicis rostris. Altera eius pars est lectio, sed ea non solet ita afficere ut uia uox. Tertia eius pars publicus cantus. Nam Paulus ad Ephesios scribēs capite 5. inquit: Impleamini spiritu loquentes uobismetipsis per Psalmos & hymnos, & cantiones spirituales

*Prædicatio
nis uerbi par
tes.*

DE POENITENTIA

canentes & psallentes, &c. Et significat per cantum Psalmorum nos impleri spiritu. Item ad Colof. ait: Docete & commonete uos inuicem cationibus & laudibus, et cationibus spiritualibus. Sed prædicatio uerbi Dei in hoc ordinata est, ut sit organo spiritus, quo impleamur spū, & doceamur & admoneamur in pietate. Quare autore Paulo, cantus Ecclesiasticus à cantationibus intellectus, est pars prædicationis uerbi Dei. Cū autem sit pars eius, sequitur q̄ etiam nobis utilitatem adferat, quā adfert prædicatio uerbi Dei.

Porro prædicatio uerbi Dei est nobis necessarium organo, quo spiritus sanctus operatur in nobis poenitentiam, uidelicet, agnitionem peccatorum, fidem in Christum, & obedientiam. Quare eadem operatur in nobis spiritus sanctus per cantum Ecclesiasticum. Quid ergo? Si nobis cordi est pietas, ut magnam diligentiam adhibere debemus in audiendo uerbo Dei,

Dei, ita etiam adhibenda est diligencia in discendis carminibus et Psalmis ecclesiasticis. Vide autem mores nostros preposterios: Alij finita concione erumpunt ex Ecclesia, quasi quis classicum cecinisset: Alij ducunt sibi dedecori esse si cantauerint. Primum autem inter viros nemo, puto, nobiliorem sese existimet Dauide Propheeta & rege. Attamen is maxima animi iucunditate Psalmos cantauit, adeoque non erubuit etiam exultare & cithara Psalmos ludere, uide historiam 2. Regum 6. nemo nostrum illo sanctior est & nobilior. Quare imitetur quisque exemplum eius, Sed ante omnia Christi exemplum, de quo supra Matt. 26. Deinde, inter mulieres, nulla uel nobilior est sorore Mosis, uel sanctior Anna matre Samuelis, aut Maria matre Christi. At he Psalmos composuerunt & cantauerunt. Quid quod honorantur mulieres, si permittuntur in Ecclesia cantare? Nam alioqui

DE POENITENTIA

prohibitum est, ne mulier in Ecclesia loquatur: quod autem ad cantum attingit, liberantur mulieres hac lege. Quare laudi sibi ducant, si permittuntur cantare in Ecclesia, & tanto diligentius carmina discant, quanto maiorem ea utilitatem adferunt, tam cantantibus quàm auditoribus.

*Musica cur
creata à Deo*

Sunt etiam alij usus cantuum Ecclesiasticorum, quos animaduertere possumus, si meminerimus ad quid Deus ipsam musicam generaliter creauerit & donauerit hominibus. Nam musica, siue cantu siue instrumentis exerceatur, naturaliter à Deo creata & ordinata est, ad mitigandam molestiam laboris, ad componendum statum mentis, ad molliendos irarum ardores & furores. Atque hoc uerum esse experientia ipsa docet. Vide Agricola: Is lenit suum & iumentorum suorum laborem cantu qualicunque. Ancilla in labore cantat. Sic artifex in labore suo modulatur: mater suo cantat

tillat infanti &c. Dauid cantu citharæ
Saulis furorem mitigabat. Et ueteres
adhibuerunt in conuiuia musicam, ut
hac affectus auditorum sedarētur, ne
nimium uino incenderentur. Hic est
usus legitimus, ad quem Deus musi-
cam generaliter ordinauit. Si autem
hec est generalis efficacia cuiuscunq;
musices, certè multò maior erit effica-
cia musicæ Ecclesiasticæ. Nam quæ in
Ecclesia cantantur, ea cōstant uerbis
sacræ scripturæ: uerba autē sacræ scri-
pturæ seu Euangelij Christi sunt po-
tentia Dei ad salutem omni credenti,
Roma. † Si ergo accedit præterea mu-
sica, multò maiorem efficaciam habe-
bunt. Vnde & Paulus †. Corinth. 14.
ait: Quoties conuenitis, unusquisque
uestrum canticum habet &c. omnia
ad ædificationem fiant. Non dixisset
ad ædificationem, si nullus esset usus
canticorum. Sicut enim uerbum Dei,
Ita cantiones & Psalmi docent et con-
firmant fidem, ac consolantur in affli-

DE POENITENTIA

ctione. Vnde Zacharias, Maria, Simeon in Euangelio Psalmos composuerunt, nimirum ad cantandum.

Sed, inquis, hoc intelligendum est de his carminibus, quæ uulgari lingua cantantur, ut possint intelligi, non de latinis cantionibus & organis quæ non intelliguntur. Respondeo: Ob hanc causam non latinè tantùm cantitur, sed etiam germanicè. Conuenit enim duplex populus in Ecclesia, latinus & germanicus, pro utroque igitur populo sunt sue cantiones. Et adiecta sunt organa tanquàm insignis nota, qua admoneamur ad obseruationem rerum quæ eo die docentur. Patet igitur breuissimè, quis impius et quis uerus sit usus canticorum & organorum. Utamur itaque illis piè ad cognitionem & apprehensionem Domini nostri Iesu Christi, qui est unà cum

Patre & Spiritu sancto laudandus

Deus in secula,

Amen.

Homilia

HOMILIA DECIMA QUINTA.

De Festis diebus.

Demonstrauimus ratio-
 nem rituum Ecclesiasti-
 corum, qui ad tranquil-
 litatem, & bonum ordi-
 nem in Ecclesia seruan-
 tur, qui ualde sunt utiles, si illis probe
 utamur ad Ecclesiæ utilitatem & uer-
 bi Dei explicationem. Non autem in-
 stituti sunt ut his mereamur (quemad-
 modum hypocritæ sentiunt) gratiam
 Dei, Deum propiciam, remissionem
 peccatorum et uitam æternam. Nam
 impietas est ita sentire de ritibus Ecc-
 lesiæ, & hac opinione nequaquã serua-
 ri debent. Nam hoc pacto abducunt
 à fide in Christum, & Christum afficia-
 unt blasphemia. Remissio enim pec-
 catorum ad solam maiestatem Christi
 pertinet. Vbi autem ad merita opere
 transfert, ibi nihil est nisi blasphemia
 in Christum. Sed sunt instituti ad fi-
 dem in Christum cõmodè docendam,

DE POENITENTIA

ut omnia in Ecclesia decenter & cum ordine fiant. Et propter has causas uult Deus hos ritus etiam à nobis in Ecclesia obseruari. Inter hos ritus autem, primùm explicuimus ieiunij rationem. Deinde, quid sentiendum sit de cantu Ecclesiastico, & organo, quod huic adhiberi solet. Quare nunc etiam operæ precium esse uidetur, ut nonnulla de festis diebus adijciamus, nempe, quo pacto fuerint in lege seruati, & quæ illorum ratio ac usus sit in Christianismo.

Festa in populo Iudaico

Festum Paschæ

Principio itaque in Repub. Israëlita præter sabbatum etiam alia festiua fuerunt ex lege instituta, quorum primum fuit festum Paschæ, quod & azymorum festum dicitur, quod præceptum erat, ut Israelitæ septem diebus uescerentur azymis. Quo uero consilio hoc festum celebratum fuerit, ostendit lex ipsa Deut. cap. 16. Obserua, inquit, mensem Abib, ut facias phase Domino Deo tuo, quoniam in mense

mense Abib eduxit te Dominus Deus tuus de Aegypto nocte. Et mox: Septē diebus comedes absq; fermento panem afflictionis, quoniam in pavore egressus es de terra Aegypti, ut memineris diei egressionis tuæ de Aegypto omnibus diebus vitæ tuæ. Et in Exodo ca. 12. Habebitis, inquit, hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solennem in generationibus uestris cultu sempiterno. Ex his manifestum est, q̄ observatio festi Pasche, in quo phase immolabatur, instituta fuit, ut hac ceremonia historia liberationis ex Aegypto publicè tractaretur, et beneficia Dei, in ea liberatione Israëli exhibita, omnibus hoc ritu uelut; ob oculos depingerentur ac repræsentarentur. Præterea ut significaretur futurum esse uerum agnū paschalem Christum Dominum nostrum, qui sua immolatione nos à peccatis & morte liberaret. Beneficia autem Dei in memoriam reuocare, mi-

DE POENITENTIA

nimè uanum est. Sic enim & clemencia Dei commendatur, & fides auditorum animatur. Quare Pascha celebratum fuit, ut fides pasceretur & cōfirmaretur de clementia Dei.

Festum Pentecostes.

Secundum festum Pentecostes fuit, quod aliàs dicitur festum hebdomadarum, hoc celebratum fuit in monumentum legis datæ in monte Sinai, Lex enim data est quinquagesimo die postquàm Israëlitę egressi sunt ex Aegypto.

Festum tabernaculorum.

Tertium fuit festum tabernaculorum, quod etiam festum Collectionis dicitur, Et institutum fuit, ut posterius discerent, q̄ Deus fecerit habitare filios Israël in tabernaculis, cum ex Aegypto proficiscerentur. Additum fuit & quartum, Tubarum scilicet, seu

Festum tubarum.

expiationis festum. De his autē festis lege copiosius Leuitici 23. Nume. 28. & Deut. 16. Cæterū, ut tria festa priora frequentiori & celebriori hominū turba obseruarentur, additæ fuerunt duæ

duæ leges. Quarum prior est: Ter in anno apparebit omne masculinū tuū coram Domino dominatore. Et explicatur clarius Deut. 16. Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit, in solennitate Azymorum, & in solennitate Hebdomadarum, & in solennitate tabernaculorum. Locus autem à Domino electus dicebatur is in quo erat arca propiciatorij, quæ fuit primū in Sialo, postremò translata est ad urbem Hierusalem. Et qui ad hunc locum uenerat, is dicebatur apparere ante conspectum Domini Dei sui, propterea quòd Dominus dicebatur habitare supra propiciatorium. Fuit itaque una tantum parochia, ut uocant, in toto regno Israël, ad quam necesse habuerunt omnes uiri Israëlitæ quotannis ter, tribus uidelicet summis festis diebus, proficisci. Primū, ut memorabilia et illustriora Dei miracula obser-

Lex de festis prior.

Parochia una tantum in Israël.

DE P O E N I T E N T I A

uatione dierum festorum, et uisitatio
ne loci à Deo electi, in memoria cōser
uarentur, & fides aleretur, & ut uera
religio doceretur & conseruaretur.

*Lex de festis
posterior.*

Posterior lex de festis fuit: Non ap
parebitis in conspectu meo uacui, sed
offerat unusquisq; secū dum quod ha
buerit, iuxta benedictionem Dñi Dei
sui, quam dederit ei. Idē factum est,
ut Israëlitarum gratitudo erga Deum
ostenderetur. Deinde ut sacerdotes
alerentur & Leuitæ, qui nullam par
tem terræ Canaan habebant sicuti a
liæ tribus. Ad hæc ut ministeria Ecclē
siastica conseruarent. Hæc omnia imi
tati sunt quidam in Ecclesia Christi,
et instituerunt quatuor summa festa,
ac exegerunt sub peccato mortali, ut
quicūq; ad annos discretionis (sic em̄
loquuntur) peruenerit, ac Cœnam do
minicam sumpserit, quotannis in qua
tuor summis festis, suā propriam pa
rochiam uisitet, ac numum offerat, ne
iuxta legem appareat uacuus in con
spectu

spectu Dñi. Quanc̄ autē omnino ob-
 seruanda sint festa in Christianismo,
 pro sua ratione, ut audiemus, non ta-
 mē cogit te Christus, ut quotannis ad
 unum tantū locum quater profici-
 scaris, sed hoc exigit, ut omnibus lo-
 cis & temporibus, quibus hoc fieri li-
 cet, Euāgelion diligenter discas, & sa-
 cramento coenæ fideliter & legitimē
 utaris, quo & fidem habeas, & in fide
 confirmeris. Adhęc nō necesse habes
 in Ecclesia Christi externas oblatio-
 nes offerre more Israēlitarū, Necesse
 tamen habes ministros Ecclesiæ ale-
 re, & pauperibus benefacere. Neces-
 se item habes in Ecclesiam spirituales
 oblationes afferre, quæ sunt oratio,
 gratiarum actio, obedientia; Item cor-
 cōtritum & humiliatum, et similia ge-
 nera oblationum spiritualium. Habe-
 mus præcipua festa in lege præcepta,
 nunc etiā de sabbato audiemus. Nam *Sabbati ob-*
servatio. in politeia Mosi instituta fuit observa-
 tio sabbati, magna tum autoritate tū

*Festorum in
 Christianis-
 mo ratio.*

DE POENITENTIA

seueritate. Deus enim ipse ait: Memēto ut diem sabbati sanctifices, Non facias in eo omne opus, tu, & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, qui est intra portas tuas. Sed & hunc diem commendauit Dominus, & ornauit magno miraculo in deserto. Cū enim manna repositum alijs diebus, uermibus scateret, & computresceret, repositum autem in sabbatū nec uermibus scatebat, nec computrescebat, quemadmodum in Exodo capite 16. scribitur. Adde huc et seueritatem eius supplicij, quo diuina sententia affectus est is, qui in sabbato ligna tantū collegerat, ut testatur liber Numer. cap. 15. Quid ergo sibi uult tanta autoritas & seueritas in exigenda obseruatione sabbati; Num quōd hic dies coram Deo alijs sanctior sit? Minime omnium. Omnes enim dies sunt bonæ creaturæ Dei, & æqualiter coram Deo sancti. Et quamuis scriptum sit,

lit, Deum requieuisse die septimo, ta-
men Christus interpretatur Ioan. 5.
dicens: Pater meus operatur usque nunc,
& ego operor. Sed exigitur sabbatum,
ut prædicatio uerbi Dei & ueræ reli-
gionis doctrina publicè obseruetur
et conseruetur. Audiuius breuibus
de festis principalibus in lege & poli-
teia Mosis, unà cum obseruatione sab-
bati. Nunc paucis etiam audiemus ra-
tionem & usum dierum festorum in
Christianismo. Sunt enim omnino et
etiam in Christianismo festa obseruan-
da, pro sua ratione, & pro pædago-
gia, ut his ritibus uulgus melius & di-
ligētius de doctrina Christiana, & de
præcipuis articulis fidei nostræ eru-
diatur. Tametsi enim hæc non sint tan-
ta seueritate in republica Christiana
instituta, quāta dies festi & sabbatum
in repub. Israëlitica instituta fuerunt,
tamen quia ordinata sunt, ut omnia in
Ecclesia decenter & secundum ordi-
nem fiant, & ut præcipui fidei nostræ

DE PCENITENTIA

articuli & miracula in diebus festis,
 tanq̄ in illustrioribus locis posita at-
 que insignita, maiori religione docean-
 tur & conseruentur, profectò diuini-
 tate etiã ordinationes sunt, & alia præ-
 cepta Domini, qualia Paulus Ecclesia
 sticas ordinationes in Corinthiis ap-
 pellat. Sic celebrantur festa natalicia,
 ut uulgus erudiatur, quid nobis attu-
 lerit Christus per suam natiuitatem,
 & ut discat rectè intelligere articulū
 hunc fidei, Natus ex Maria uirgine.
 Paschæ Sic festum Paschæ, ut articulus de re-
 surrectione Christi: Tertia die resur-
 rexit à mortuis, & ea quæ de resurre-
 ctione dicenda sunt, doceantur. Sic as-
 censionis Christi festiuitas, propter
 articulū: Ascendit ad cœlos, sedet ad
 dexteram Dei Patris omnipotentis.
 Ita & Pentecostes festū, ut de Spiritu
 sancto & donis spiritus sancti, erudiat
 tur populus. Ita Trinitatis festum, ut
 quid de sancta Trinitate sentiendum
 sit, inculcetur. Sic aduentus Domini,
 ut

*Festum Nat-
 alis Domini.*

Paschæ

Ascensionis.

Pentecostes.

Trinitatis.

Aduentus

Domini.

ut hac occasione publica fieret mentio promissionum de Christo, uidelicet, ut Ecclesia cognosceret, quod Christianismus non sit noua religio recens in orbe nata, sed quod iam inde ab initio humani generis in orbem terrarum uulgata sit. Et quod Christus non ita casu quodam aduenerit, ut antea de ipso nihil cogitatum fuerit, sed quod multis retro seculis publice à Prophetis prædicatus sit, & quod religio Christianismi in paradiso inceperit, ac inde uulgata fuerit in orbem terrarum ab Adam in Patriarchas &c. Atque hæc festa maiores nostri instituerunt, non quod senserint alium diem alio sanctiorem esse. Coram Deo enim inter tempus & tempus, inter diem & diem non est iudicandum. Nac obseruârunt hæc ut mererentur remissionem peccatorum, & uitam æternam hac obseruatione.

Nam hæc sunt hypocritica traditiones & uanitates. Ita sunt etiam Apostolorum festi dies quidam instituti, & Apo

*Festi dies
Apostolorum.*

DE POENITENTIA

stolorum nominibus insigniti, uidelicet, non ut significetur, quòd Aposto-
 li, ueluti dñj auxiliares, in afflictionibus inuocandi sint, sed ut nominibus
 Apostolorum, in certos dies, tãquàm
 in locũ illustriorem positis, admonea-
 mur doctrinæ Apostolicæ, super quã
 fundata est Ecclesia Christi, ut quotie
 scunq; nobis alicuius Apostoli nomẽ
 proponitur, toties testimonium Euan-
 gelij de Iesu Christo habeamus, quòd
 propter solum Iesum Christum per fi-
 dem accipiamus remissionem pecca-
 torum & uitam eternam. Simili ratio-
 ne de cæteris festis diebus iudicandum
 est. His festis diebus additur etiam di-
 es Dominicus, qui in Christiana poli-
 teia magnam habet autoritatem ex
 constitutione ciuiliũ legũ, quæ quia
 seruiunt Ecclesiæ, habendæ sunt pro
 diuinis ordinationibus. Sic autẽ dicunt
 leges: Omnes iudices, urbanæq; ple-
 bes, & cunctarum officia uenerabili
 die solis quiescant. Et iterum: Domini
cum

*Dominicus
dies.*

cum diem semper honorabilē decernimus uenerandū, ut à cunctis executionibus excusetur, nulla quenuā urgeat admonitio, nulla fide iussionis flagitee exactio, taceat apparitio, aduocatio delitescat, Sit ille dies à cognitionibus alienus, præconis horrida uox silescat, respirent à controuersijs litigantes. Vnde huic diei tanta sanctitas, q̄ dignetur ipsi publicis suis iudicijs cedere summa maiestas in terris: Certè non habet tantam sanctitatem à seipso. Dies em̄ dominicus quod ad se attinet, nihil ab alijs diebus differt, sed quicquid sanctitatis habet, à uerbo Dei habet, quod eo die publicè prædicatur & auditur. Cùm igitur maiestas legum magna grauitate exigat, ut omnia tam publica q̄ priuata officia ciuilia dominico diei cedant, perspicuè ostendit, q̄ sanctè de uno illo necessario, quod est audire uerbum Dei, ac discere uerā religionem, iudicet, & manifestè declarat, se unū hoc

DE POENITENTIA

quærere, ut publicū ministerium uerbi Dei in Ecclesia conseruetur, & ut homines unum illud necessarium, uidelicet, auditum uerbi Dei, è quo uera religio discitur, & uera salus acquiritur, quàm diligentissimè sectentur.

Feria sexta

& Sabbatum

Iam & maiores nostri insignierūt dominicum diem publica duorū dierum, qui præcedunt, sobrietate. Solenne enim fuit, feriam sextam & sabbatum, qui dies præcedunt dominicum diem, singulari præ alijs diebus sobrietate uenerari. Nō approbabitur quidem superstitionem hypocritarū, qui & habent ex superstitione defectum ciborum, & promittunt sibi ex merito ieiunij sui remissionem peccatorū & uitam æternam, sed cōmendamus disciplinam & honestatem publicorum morum. Voluerunt enim maiores nostri, ut his duobus diebus ante dominicum, nec nuptiæ, nec alia publica conuiuia celebrarentur, non quod hæc per se sint illicita, nec quòd ex merito

ritis

ritus ieiuniorum constet expiatio pec-
 catorum, sed ut sobrietate duorum die-
 rum homines redderentur aptiores
 ad sectandū unum illud necessarium,
 hoc est, ad audiendum uerbum Dei,
 & ad percipiendā doctrinam religio-
 nis in die dominico. Non senserunt de
 his diebus superstitiose, sed iudicauerunt
 sanctè de uno illo necessario, si-
 ne quo, si ordinariam Dei administra-
 tionem respicias, non contingit nobis
 nec uera fides, nec uera salus. Et ꝑ
 sanctè illi iudicauerunt, tam prophanè
 nunc nos peccamus, quòd his tempo-
 ribus, quibus delectus ciborum alicu-
 bi sublatus est, soleamus publica con-
 iuiua plerūq; in uesperam sabbati re-
 ijcere. Quomodo enim mane conue-
 nies sobrius ad concionem uerbi Dei,
 non priori tantum uesperis, sed per to-
 tam ferè noctem uinum ingurgitās?
 Quòd si non attuleris sobrietatem,
 quid speras te uerbo Domini confes-
 cuturum? Ebriosi, inquit Paulus E-

DE POENITENTIA

phes. §. non accipient hæreditatem regni Dei. Qui fit: quia præcludunt ebrietate sua viam spiritui sancto, ut nec uerbum Dei percipiant, nec per uerbum Dei fidem concipiant. Sectemur igitur sobrietatem, ut & eo commodus ac utilius, unum illud necessarium, quod est, audire uerbum Dei, & discere ueram religionem, sectari queamus.

*Ministerio
uerbi Dei om-
nia obedire
debent.*

Sed & hoc mihi uide, quàm sanctè Deus ipse de hoc uerbo iudicet. Nam quæcunq; publica officia in hoc seculo instituit, quæcunq; dona, siue corporalia siue spiritualia, confert, ea omnia huc respiciunt, ut conseruetur in orbe terrarum ministeriũ uerbi Dei, quo homines de uera religione erudiantur. Institutus est diuina ordinatione magistratus ciuilis, ad quid dices quidem, ad conseruandam pacem & honestatem ciuilem. Sed in quem alium finem ea pax magis respicit, q̄ ut liceat audire uerbum Dei, & discere ueram

ueram religionem? Quantum putas
 hoc esse ministerium, cui ipse Cæsar
 ac Principes seruiunt? Datur nobis
 benedictio frumentorum, ad quid
 ad alendum corpus. Rectè, sed num
 ideo uiuimus, ut edamus? Nihil mi-
 nus, sed uiuimus, ut discamus ueram
 religionem, ut cognoscamus Deum,
 & salutem consequamur. Igitur mi-
 nisterio uerbi Dei seruiūt omnes tam
 agri quàm agricolæ. Hoc enim uer-
 bum Dei organon est, quo Deus est
 efficax ad salutem omni credenti. Ex
 his facillè licebit agnoscere quàm ne-
 cessarij sint nobis festi dies, & quàm
 utiles. Necessarij enim sunt, ut habea-
 tur certum tempus, quo conuenia-
 mus & audiamus uerbum Dei, ob-
 seruemus publicas preces in Eccle-
 sia, & accipiamus Sacramenta. Ad
 hæc, quam utilitatem ex uerbo Dei
 habemus, eam etiam ex festis die-
 bus, quibus uerbum DEI prædi-
 cari, publicè preces obseruari, &

DE POENITENTIA

sacramenta tractari debent, consequi
possumus.

Quod cum ita sese habeat, agite
charissimi, celebremus dies festos,
non ignauo ocio, non comeffationi-
bus & ebrietatibus, sed summo pieta-
tis studio, ut uerbum Dei audiamus,
fidem in Christum concipiamus &
confirmemus, ac perpetuam fellicita-
tem consequamur, per eundem Do-

minum nostrum Iesum Christum,

qui est unà cum Patre & Spi-

ritu sancto laudandus

Deus in secula,

Amen.

DE

De Pœnitentia

ALIAE HOMILIAE A

lijs temporibus dictæ, quæ sunt

epitome Homiliarum præcedentium.

HOMILIA PRIMA.



Erfati sumus aliquãdiu
 in explicando proœmio
 Euangelij, quod inscribitur
 secundum Ioannem, & peruenimus usq; ad testimonium
 Ioannis Baptistæ, quod is dixit
 de Christo ad legatos Hierosolymitanos. Cùm igitur Ioannes Baptista fuerit
 præcipuus concionator pœnitentiæ, opportunum nobis uidetur, ut de
 pœnitentia dicamus. Multa sunt, quæ
 monent suscipiendam esse explicatio *pœnitentia*
 nem pœnitentiæ. Primum omnium *ualde necessaria.*
 huc nos uocat tempus illud, quod uocant
 ieiunium quadragesimale. Etsi
 enim hypocritæ mixum in modum

DE POENITENTIA

abusi sunt hoc tempore, tamen appa-
 ret ueteres eò accommodasse, ut his
 diebus Ecclesia publicè doceatur de
 uera poenitentia, in publicis concioni-
 bus. Et in quauis calamitate iubentur
 homines agere poenitentiam. Præter
 rea si quis in afflictione sua ad Domi-
 num orare uelit, exigitur ab ipso, ut
 ante omnia agat poenitentiam. Non
 enim potest quispiam esse uerè orās,
 nisi sit uerè poenitens. Et Propheta le-
 remias cap. 18. ait: Si gens illa poeni-
 tentiam egerit à malo suo, agam & es-
 go poenitentiam &c. Postremò Chri-
 stus ipse disertè ait, se uenisse peccato-
 res uocare ad poenitentiam. Quare
 necessarium est, ut ueram poenitentiæ
 rationem teneamus, præsertim cùm
 & in doctrinæ huius ueritate constet
 uerus ac totus Christianismus. Et qui
 rectam tenuerit doctrinam de poeni-
 tentia, uidebit necessarias esse causas
 propter quas reliquerimus Papistia
 cas impietates. Videamus igitur
 quid

quid nobis faciendum sit, ut ueram et
piam agamus pœnitentiam. Ac ipse
docendi ordo exigeret, ut primùm o-
mnium explicarem pœnitentiam
definitione. Sed quid nomine pœni-
tentiae significemus, declarabimus
per exempla, quò simpliciores audia-
tores melius percipere queant.

Proponemus igitur nobis Davi-
dem: is enim etsi multa acceperat be-
neficia à Deo, tamen grauissimè pec-
cauit. Habuit peccatum originale in
carne, cui accessit deinde adulterium
& homicidium, quò meritus est æter-
nam mortem. Itaq; si uoluerit libera-
ri à peccato & morte, necesse habebit
pœnitentiam agere. Quæritur ergo
quid faciat Dauid, ut agat pœniten-
tiam rectã & ueram? Proponamus &
Petrum, qui abnegatione sua meruit
infernum, admonetur autem ad effu-
gendum infernum, ut agat pœniten-
tiam. Quid ergo faciat? Proponamus
& Mariam Magdalenã: hæc fuit pecc-

*Dauid pœni-
tentiae exam-
plum.*

DE POENITENTIA

catrrix, & merita est æternum ignem, quẽ ut fugiat ac seruetur, necesse habebit poenitẽtiam agere. Quid igitur faciat? quò se uertat? Accipe etiam latronem in cruce, is meritus est eternã mortẽm suo latrocinio. Ne autem in æternum pereat, necesse est, ut poenitentiam agat. Quid ergo ad agendam poenitentiam faciat? Vides in agenda poenitentia requiri illud, quo effugiamus tam peccata quã supplicia peccatorum, ut consequamur ueram salutem. Quare ut rem ipsam aggrediamur, in agenda poenitentia, primum omnium requiritur contritio, Germanicẽ uocamus *Neu vnd leid vber die sünd.* Hoc uocabulum notũ quidem & uulgatũ est, sed uim eius pauci intelligunt: multa enim cõplectitur. Ac primum ad ueram cõtritionem requiritur, ut agnoscamus quæ sint uera peccata aduersus Deum. Nam plerique magis reputant peccata quæ designant aduersus humanas ordinationes, quã quæ aduersus

*Peccata uera
cõsideranda
in contritio-
ne uera.*

aduersus diuina mandata. Hi sunt qui iuxta Psalmum trepidant timore ubi non est timor. In Pontificia religione maius peccatum reputatum est, uesci carnibus in ieiunio, quàm committere scortationem. In calamitatibus cauendis maius peccatum reputatū est inordinate in processione incedere, quàm nomine Domini abuti ad conuicia & maledicta. Sic & adhuc inhonestius iudicatur in conuiujs præoccupare cibum ante honestiores conuiuas, quàm uel compotare, uel proximos conuiujs proscindere. Et tamen alterum est tantum peccatum in externam ciuilitatem, alterum est peccatum in legem Dei. De his igitur peccatis quæ designantur aduersus humanas ordinationes nihil loquimur, etsi omnia, quantum fieri potest, uitanda sunt, & semper honestati publicæ studendū: Sed loquimur de ueris peccatis, quæ ad habendam rectam contritionem agnoscenda sunt. Agnoscuntur autem

DE POENITENTIA

ex uerbo Dei, agnoscuntur ex Decalogo & explicatione eius: quare ad agendam poenitentiam Decalogus nobis ob oculos ponendus est, ut ex eo discamus quæ sint uera peccata aduersus Deum, de quibus cõteri & dolere debeamus. Deinde ad habendam ueram contritionem requiritur, ut etiam cognoscamus iudicium Dei aduersus peccata, & supplicium peccatorum. Nõ cognoscimus autem illud ex humana ratione, quæ solet Deum cõtemnere, sed cognoscendum est ex uerbo Domini. Dicit enim: Deus uisitans iniquitatem patrum in filios usque in tertiam & quartam generationem &c. Hoc est, Deus intantum irascitur peccato, ut non solum puniat factorem peccati, sed etiam posteros eius, sicut apparet in Adamo & Saule &c. Item in lege dicitur: Maledictus omnis qui non permanet in lege. Et: Si non audieris uocem Domini Dei tui, maledictus eris in agro, maledictus eris

*Iudicium Dei
& peccatorũ
supplicia.*

eris in ciuitate, maledictum horreum
 tuum &c. Item in Euangelio: Qui ma-
 la egerunt ibunt in ignem æternum.
 Et iterum: Ite maledicti in ignem æter-
 num, qui paratus est diabolo & ange-
 lis eius. Hæc & id genus alia nobis
 sunt ponenda ob oculos, ut uerè con-
 teramur & doleamus. Huc accedit q̄
 iudicium & supplicium peccatorum
 cognoscitur etiam exemplis, ueluti
 diluuij, Sodome, Pharaonis &c. Huc
 pertinent exempla publica & priua-
 ta, quæ longum esset nunc recitare.
 Ad agendam igitur pœnitentiam, co-
 gnoscenda est grauitas & magnitu-
 do peccati, ut agnoscentes iram Dei
 & supplicia peccati, ueram concipia-
 mus contritionem. Habes unde oria-
 tur contritio. Nunc uidendum erit,
 quibus argumentis & quibus signis
 prodat se uera contritio, aut qui sint
 effectus cōtritionis. Effectuum autē a-
 lij sunt fortuiti aut arbitrarij, alij sunt
 necessarij. Nam fortuiti & arbitrarij

*Effectus seu
 signa ueræ
 contritionis.*

DE POENITENTIA

*Effectus for-
tuiti.*

sunt fuga externa, uel tremor corporis, uel lachrymæ, uel ieiunium & faccus. Cain prodit contritionem suam fuga & tremore. Hoc exemplum idcirco in medium produco, quia quod ad contritionem attinet, impij & pij serè similes esse solent. Esau, Magdalena & Petrus prodiderunt contritionem suam lachrymis: Iosaphat & Niniuitæ prodiderunt contritionem suam ieiunio & saccis, quæ fuit tunc solennis & politica consuetudo. Hæc enim non fuerunt expiatio peccatorum, sed tantum argumenta seu effectus contritionis, quæ requiruntur quidem pro sua quadam ratione ad poenitentiam, sed non sufficiunt. Est & confessio, non illa auricularis seu pontificia, sed libera, qua quæritur remedium uel consilium, argumentum seu effectus contritionis. Hi effectus & hæc argumenta, non sunt necessaria ad contritionem, sed solent aliquoties sequi, aliquoties non sequi. Alij sunt effectus necessarii,

necessarij, quorum alter est declinare
 à peccato & uitare peccatū. Nam qui *Effectus ne-*
 dolet se peccasse, et uidet grauitatem *cessarij.*
 iræ Dei, ac supplicium peccati, nō po-
 trit se continere, quin peccatum fugi-
 at & uitet. Quōd si uero nō fugit pec-
 catum, tunc certum est signum, quod
 non habeat ueram cōtritionem. Ergo
 qui fuit helluo, necesse habet ab hellu-
 atione desistere: qui fuit scortator,
 necesse habet scortationem fugere:
 qui fuit inuidus aut impostor, necesse
 habet uitare hæc peccata: qui fuit ido-
 lolatra, abominetur idololatriam. Al-
 ter effectus est facere bonum et secta-
 ri uirtutem. Nisi enim quis faciat bo-
 num pro sua uirili, signum manifestū
 est, quod nondum odio habeat malū.
 Nam qui antè fuit ebrius, necesse ha-
 bet studere sobrietati: qui antè fuit im-
 postor, necesse habet reddere furta
 & imposturas. Talis fuit ludas: contri-
 tio enim eius recta fuit, quia declina-
 uit à malo & fecit bonum: confessus

DE POENITENTIA

est publicè innocentiam Christi & suam crudelitatem, ac reddidit pecuniam. Sic contritionem habuit latro in cruce &c. Omnino enim requiritur ad contritionem, ut fugias malum & facias bonum. huc uocant Prophetae. His operibus nō expiantur peccata, sed tantum declaratur cōtritio. Quare consecuta hac contritione & agnitione peccatorum & iudicij Dei aduersus peccata, apprehendamus Dominum nostrum Iesum Christum, in quo habemus remissionem peccatorum, placatum Deum & uitam aeternā, qui est unā cum Patre & Spū sancto laudandus Deus in secula, Amen.

HOMILIA SECVNDA.

De uera contritione.



Diximus de poenitentia, quòd ad agendam poenitentiam primùm omnium requiratur, ut peccator habeat contritionem ac dolorem de peccatis suis. Hic autem

autē dolor declaratur suis signis atq;
 argumentis, quorum alia non sunt ne-
 cessaria, ut fletus, externa confessio,
 sacculus, ieiuniū, cilicium, cinis & id ge-
 nus reliqua. Alia sunt necessaria, sine
 quibus non est uera contritio, uideli-
 cet, declinare à malo & facere bonū.
 Nisi enim quispiam fugiat peccatum
 & sectetur bona opera, perspicuè sig-
 nificat sese nondum agnoscere pecca-
 tum, nec habere cōtritionem ac dolō-
 rem de peccato, hoc est, nondum in-
 choasse pœnitentiam, nec esse in nu-
 mero pœnitentiū. Quare ad inchoan-
 dam & agendam pœnitentiam neces-
 sarium est, peccata fugere & bona fa-
 cere. Videamus autem nunc quæ sint
 bona illa opera, quæ facienda sunt, &
 propter quam causam facienda sint.

Hæc autem non temerè propo-
 nuntur discutienda. Nam semper est
 litigandū in orbe terrarum de bonis
 operibus cū hypocritis. In iudaismo
 homines acturi pœnitentiā iubentur

DE POENITENTIA

à doctoribus hypocriticis sacrificare
 & regulas Pharisæicas obseruare. In
 Ethnicismo iubentur homines thura
 in ignem proijcere, & uiua aqua sese
 abluere. In Monachismo iubentur ho-
 mines, uel missas audire, uel ordinem
 poenitentium suscipere, uel Sanctos
 mortuos inuocare &c. Sed his doctri-
 nis semper contradixit, non solum spi-
 ritus sanctus, sed etiã recta hominum
 ratio. Nam Philosophi docuerunt ope-
 ram dandam esse bonis uirtutibus, ac
 Deum delectari magis pura mente,
 quàm puro corpore. Prophetæ aut se-
 uerissimè exigunt obedientiam mo-
 raliu bonorum quæ Deus præcipit.
 Mose dicit: Circumcidite præputium
 cordis uestri, et ceruicem uestram ne
 induretis amplius. Samuel ait: Meli-
 or est obedientia quàm uictimæ. Esai-
 as inquit: Holocausta arietum nolui
 &c. Quiescite agere peruerse, & di-
 scite benefacere. Quærite iudicium,
 subuenite oppresso, iudicate pupillo
 &c.

&c. Et Micheas: Quid dignum offeram Domino? Nunquid offeram ei holocausta et vitulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi o homo quid sit bonum, et quid Dñs requirat à te, utiq; facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo. Sic & Hoseas: Misericordiam uolo & non sacrificiũ &c. Breuiter, hoc exigunt, hoc urgent Prophetæ omnes, ut ad agendam pœnitentiam ea opera faciamus, quæ Deus exigit in Decalogo suo, & non excogitemus novos cultus Dei, et noua sacra, quæ Deus non commendauit nobis. Cum Prophetis cõuenit Ioannes Baptista, qui fuit optimus & præstantissimus concionator Pœnitentiæ. Nã cum nõ solùm Pharisei, uerum etiam

DE POENITENTIA

milites, Publicani, et oīa genera hominum peterent ab ipso uerā poenitentiae rationem, non proposuit eis hypocritica opera, non inculcauit eis sacrificia & excogitaticios cultus, Non iussit eos ingredi in ordinem Pharisaeicū & monasticum, sed permisit ut unusquisq; maneat in suo ciuili genere uita, iussit autem unumquemq; ea bona opera facere, quae Deus praecipuerat. Ad milites nō dicebat, relinquitte militiam, & efficiamini Pharisaei, Sed dicebat: Ne quem concutiatis, neque calumniemini, & contenti estote stipendijs uestris. Hæc sunt ea opera, quae in decalogo praecipuntur: Non fureris: non occidas: non concupiscas rem alterius &c. Ad Publicanos dicebat: Ne quid amplius q̄ quod cōstitutū est accipiatis. Hoc illud praecipitū est, quod dicitur: Non fureris. Ad turbas ait: Qui habet duas tunicas, impertiat non habenti, & q̄ habet escas, similiter faciat. Hoc illud est, quod in lege

lege dicitur: Dilige proximum tuum
 sicut teipsum. Itaq; loannes in docen-
 da poenitentia, nō exegit noua opera
 & noua sacra, sed remisit auditores
 ad decalogum. Et hic loannes fuit pri-
 mus concionator & reuelator Chri-
 stianismi. Quare in agenda poeniten-
 tia, & in declaranda uera contritione
 necessarium est, ut ea bona opera faci-
 as, quæ Decalogus præscripsit, uideli-
 cet: Si quis sectatus est uarios deos et
 idola, necesse habet abijcere idola, &
 uerum Deum colere, nec murmura-
 re aduersus Deum, sed patienter fere-
 re, si immiserit nobis aduersa propter
 peccata: Si quis abusus est nomine
 Dei, & fuit blasphemus, necesse ha-
 bet à blasphemia desistere, & nomen
 Dei uenerabile habere: Si quis cōtem-
 psit uerbum Dei: Si quis malè affecit
 parentes: Si quis deceperit proximū:
 Si quis furatus fuerit &c. necesse ha-
 bet peccata illa abijcere, & sectari ea
 bona opera, quæ in his præceptis con-

*Vera bona o-
 pera faciēda
 in contritio-
 ne uera.*

DE POENITENTIA

tinentur, & de quibus quotidie decla-
matur. Nam qui pergit in sceleribus
suis, is nondum inchoauit poenitenti-
am, nec habet ueram contritionem.

*Bona opera
e. r. facienda.* Deinde uidendū est, quas ob cau-
sas hæc bona opera facienda sunt. Nū-
idcirco sunt facienda, ut horum meri-
tis expientur peccata corā Deo? Ex-
piarent quidem peccata, si essent per-
fectè bona. Sed nullus hominum est,
qui possit legem bonis suis operibus
perfectè implere. Quare non exigun-
tur bona opera, ut propter ipsa expia-
entur peccata, quemadmodum fense-
rūt hypocritæ omnium gentium. Sed
exiguntur in contritione præcipue
duabus de causis: Altera iā dicta est,
uidelicet, ut certo signo declaremus
nos uerè contritos, & uerè de pecca-
to dolere: Altera est, ut ex ipsa actio-
ne bonorum operū discamus magni-
tudinem peccati nostri certius agnos-
cere. Hoc diligenter est obseruandū:
nam natura ita ignari sumus nostræ
infirmæ

*Natura cæci-
tas e. igno-
rantia.*

infirmitatis, ut existimemus nos posse legem implere, simulatq; audiuerimus eam. Et sicut Israëlita dicunt ad Moſen: cuncta quę locutus est Dominus, faciemus, Exodi 19. Ita et nos preſumimus de uiribus noſtris, q; poſſimus facere quę Deus precepit, ſi modo cognouerimus quid præcipiatur. Sed quemadmodum Israëlita in audienda lege retroceſſerūt, & nunquam eam ſeruauerunt, ita & nos nunq; ſeruamus legem perfectę, nec facimus perfecta bona opera. Quare ut ipſa rer; experientia diſcamus magnitudinem peccati noſtri, exiguntur à nobis in contritione bona opera, ad hunc uidelicet uſum, ut cū ex nobis ipſis nō uideamus noſtram perditionem, reiſa ſentiamus & palpemus iam in faciendis bonis operibus, in quibus manifeſtum nobis fit, q; nō poſſimus legi perfectę ſatisfacere, præſertim ſi reuelata fuerit ira Dei & iudiciū mortis. Nam quemadmodum ſi quis infir

DE POENITENTIA

mo & ægroto corpore cōtendat se uiribus ualere, & posse pedibus ingredi, iubet sese è lecto proripere & ambulare: qua in re fit, ut infirmus suauissimus experientia sentiat, se non posse ambulare aut currere, de quo tamen prius contenderat: Ita & nos natura nō possumus legem facere, & tamen præsumimus nos facturos. lubemur igitur re ipsa periculum facere, ut manifestū fiat, quòd impossibile sit carnem legem implere. Vnde & Paulus ait: Reperio per legē uolenti mihi facere bonum, q̄ mihi malum adiunctū sit, hoc est, Antè uidebar quidem mihi pulchrè ualere, & posse uerè bona opera facere, Sed postq̄ feci periculum benè operādo, manifestè sensi malum meum maius esse, q̄ ut possim perfectum bonum facere. Quid ergo fieri solet? Hic tum incipit uera contritio maior fieri, et crescit mœsticia usq̄ ad ignem infernalem. Vnde & Paulus exclamat præ dolore inferni: Miser ego

ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Nam postq̄ reuelatum est peccatum, & animus est contritus propter peccatum, uidetur adhuc aliqua spes esse per opera bona. Sed cū ipsa rerum experientia certificat nos, q̄ opera nostra nihil ualeant, ibi tum omnis spes salutis cadit. Quò ergo nos uertemus? Obseruandum autem est, priusquàm ad reliqua explicanda pergamus, q̄ huc usq̄ ea docuerimus de pœnitentiâ, quæ possunt cognosci etiam ab humana ratione, & quæ Ethnici quoq̄ intra se aliquoties senserunt. Etsi enim inter Ethnicos, inter Iudeos & inter Turcas uariæ sunt impietates et superstitiones, tamen multi fuerunt & sunt prudentes uiri inter ipsos, qui agnoscunt unum tantum esse Deum, qui intelligunt Deum non placari superstitionis operibus, sed bonis uirtutibus, quas etiam sectantur qui dolent de peccatis præteritis, qui & fatentur De-

DE P O E N I T E N T I A

um esse misericordem bonis & puni-
tur malos. Et hactenus quidem con-
ueniunt nobiscum, qui ueram sectam
mur religionem. Sed post hæc sequi-
tur maximum omnium discrimen, &
tunc primùm incipit uerus Christia-
nismus. Nam honestus Ethnicus crea-
dens unum Deum, & uiuens hone-
stè, postq̃ obiectus est iudicio mortis
& peccati, non potuit amplius confi-
stere, sed necesse habuit desperare &
damnari, quia non habuit cognitionē
Christi seu seminis Abrahamæ. Pius au-
tem Christianus iudicio mortis obie-
ctus, ad Christum festinat. Hic ergo
fit discrimen Christianæ religionis ab
omnibus alijs religionibus. Sectemur
ergo ueram religionem, quæ cō-
stat in fide Iesu Christi, qui est unà cū
Patre & Spiritu sancto laudandus
Deus in secula, Amen.

HOMILIA TERTIA.

De secunda parte Pœnitentiæ,

scilicet, FIDE.

Demon



Emōstrauimus adagen-
dam Pœnitentiam ne-
cessariam esse contritio-
nem, necessariam etiam
esse fugam peccati, & se-

stationem bonorum operum, nō ut per
merita bonorum operum peccata ex-
pientur, Sed ad testificandam ueram
contritionem, & ad cognoscendā ma-
gnitudinem atq; grauitatem peccati.
Nam qui adhuc sectatur peccatū, nec
facit iusta opera, is nōdum dolet pro-
pter peccata, nondum pœnitet eum
peccati, nec agnoscit q̄ graue & ma-
gnum sit pct̄m. Quare manifestū est,
eum nōdum inchoasse pœnitentiam,
tantū abest ut eam absoluerit. Videamus
aūt nunc, quid amplius requiratur
ad agendam ueram pœnitentiam,
ut absoluator & perficiatur. Cain ha-
buit contritionem, quæ declarabatur
tremore: fugit homicidia, nullum em̄
amplius occidit: instituit politeias, ne
homines se mutuò occiderent: nondū

DE POENITENTIA

tamen absoluit poenitentiam. Esau habuit cōtritionem, quam declarauit fle-
tu, abiecit postea odiū fratris, et cōple-
xus est fratrem benevolentissimē, nō
tamen absoluit poenitentiā. Judas ha-
buit contritionem, quam declarauit
cōfessione proditiōnis, fugit proditio-
nem, fatetur ueritatem, & reddit pec-
cuniā proditiōnis nomine acceptam,
non tamen absoluit ueram poenitenti-
am, nec consecutus est uerā salutem.

Et ne tantūm utamur nostris ex-
emplis, uideamus etiā Ethnica. Nam
Ethnici egerunt etiam poenitentiam
suorū scelerum, nō tamen absoluerūt
eam. Alexander Magnus heros fuit,
hic cū in conuiuio ebrius occidisset
summum amicum suum Clytum, po-
stea tanta poenitentia ductus est, ut
progressus ad feretrum, amplecti cō-
perit mortuum, & telum in se uerte-
runt, ac occidisset se, nisi amici inter-
uissent. Suscepit etiā in ediam quadri-
duanam, ut fame moreretur, His om-
nibus

nibus testatus est cōtritionem suam,
non tñ absoluit pœnitentiã. Nero im-
perator iussit matrem suã occidi, po-
stea aũt tantam habuit contritionem,
ut facto per magos sacro, euocare ma-
nes, & exorare tentauerit, atq; adeo
regnum dedisset aliquod, q̄ nō inter-
fecisset matrem suã, tanta contritione
seu pœnitentia ductus fuit. Sed pœni-
tentia non absoluitur, nec cōtritione,
nec meritis operum sequentium con-
tritionem. Nam peccata aduersus De-
um grauiora sunt, q̄ ut possint huma-
nis operibus expiari. Et humana ope-
ra non sunt perfecta iusticia, nec satis-
faciunt legi per se. Quare nō possunt
magnitudinem peccati explere. Quid
ergo, inquires, requiritur amplius ad
agendam seu peragendã ueram pœ-
nitentiã? Hic nobis perueniendum
est ad Christianam religionem. Nam
quæ hactenus de Pœnitentia dicta
sunt, ab Ethnicis etiam intelligi & cō-
prehendi possunt, et sunt in omnibus

DE POENITENTIA

religionibus quantumcunq; uanis &
 commenticijs usitata. Iudeus, Turca,
 Ethnicus, & si qd aliud est genus ho-
 minum, præter Christianos, agnoscunt
 esse diuinam quandam naturam, quæ
 irascatur pctõ, & remuneret benefa-
 cta. Ad hæc si peccauerint, dolent ali-
 quoties propter peccata, ducunt pœ-
 nitentia, & concipiunt odium peccati,
 ac student benefacere. Sed cum per-
 uentum fuit ad iudiciũ Dei, & Deus
 ostendit eis magnitudinem peccati,
 atq; imperfectionem iusticiæ ipsorũ,
 ibi tum ignari ueræ religionis nescie-
 runt quò se uerterent. Itaq; necesse ha-
 buerunt desperare. Exempli gratia:
 Plato fuit uir sapientissimus, disseruit
 alicubi de diuina natura pijsimè, &
 sectatus etiam est optimas uirtutes,
 Non approbavit illam crassam uulgi
 idololatriam, Sed quia non habuit co-
 gnitionem misericordiæ per Christũ,
 necesse habuit in certamine conscien-
 tię et coram iudicio Dei desperare. Ci-
cero

tero egregia disputauit de diuina natura, & pulcherrimè explicuit officia uirtutū, quas etiā p̄ sua uirili sectatus est, ac potuit quidē pœnitentiā agere malefactorū. Sed quia nullam habuit cognitionē Christianismi, non potuit pœnitētiam peragere & persoluere.

Quid ergo illud est, q̄d necessariò requiritur ad agendam & absolendam uerā pœnitentiā? Diximus hīc nos peruenire ad Christianam religionem distinctam ab omnibus alijs religionibus. Post q̄ em̄ habemus contritionem seu pœnitētiam delictorum, tūc credendum est, q̄ Deus remittat nobis peccata seu delicta ex mera sua clementia tātūm propter Iesum Christum filium suum. Hīc uertitur rerū cardo. Ethnici, Turcæ, Iudæi etiā imaginantur clementem Deū & misericordem, sed ante reuelatum Dei iudicium: & tribuunt misericordiam Dei meritis operum. Postquā autem iudicium Dei reuelatur, quo agnoscunt

DE POENITENTIA

grauitatem iræ Dei, & abiectiōem
 ac sordes humanæ iusticiæ, non pos-
 sunt cōsistere, quia ignorant Christū
 filium Dei. Quare ad peragendam ue-
 ram poenitentiam atq; cōsequendam
 salutem, necessariū est credere, quōd
 peccata, quorum nos poenitet, remit-
 tantur ex clementia Dei propter Ie-
 sum Christum, Et quia iam uersamur
 in explicatiōe Ioannis Euangelistę,
 qui t̄ copiosissimè & disertè propos-
 nit, & explicat nobis fidem in Iesum
 Christum, quōd in ipso solo nostra sa-
 lus consistat, non erimus in ea re mul-
 tis scripturæ autoritatibus cōproban-
 da longiores. Si prius tamen etiā diui-
 ni Apostoli Pauli sententiam audierit-
 mus, qui ad Rom. capite 3. ita ait: Omi-
 nes peccauerūt & carent gloria Dei,
 iustificantur autem gratis ipsius gra-
 tia, per redemptionem in Christo Ie-
 su, quem proposuit Deus propiciato-
 rem per fidem in sanguine eius. Item
 ad Ephes. cap. 2. Gratis estis saluati
 per

per fidem, & hoc non ex uobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur. Huc addemus etiã ea quæ Petrus Acto. 10. dicit: Et huic, inquit, omnes Prophetę testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum habiturus sit per nomen eius quisquis crediderit in eum. Quare nemo absoluit pœnitentiam, nisi credat in Christum, Nec quisquam consequitur salutem, nisi habeat in Christo Iesu remissionem peccatorum per fidem. Quid igitur dicemus de tot gentibus, quæ ignorant & ignorauerunt Christum? An non est Deus misericors? Quomodo potest esse tam crudelis, ut perdat tot gentes? Deus non est crudelis, sed homines sunt salutis suæ negligentes, nec requirunt ea quæ salutis suæ sunt. Nota parabolam de Rege faciente nuptias, Matthæi uigesimo secundo. Et Paulus ait: In magna domo sunt uasa aurea & argentea, lignea & testacea, & alia quidem in

*De hac re in
fr. in Homil:
quart. ultima
rum homilia
rum copiose
dicetur, ibi:
Etsi autem
humana ratio
non potest
ex sese cognoscere etc.*

DE POENITENTIA

honorem, alia uerò in contumeliam. Expurgemus igitur nos ab immun-
dis uasis, per agnitionem ac contritio-
nem peccatorum, & fidem in Iesum
Christum, qui est unà cum Patre &
Spiritu sancto laudandus Deus in se-
cula, Amen.

HOMILIA QVARTA.

*In die Adnunciationis Mariæ, de
uera poenitentia.*



Olet hodierna die tracta-
ri publicè historia adnū-
ciationis, quam uocant,
Mariæ. Cùm autem nos
uersemur in explicanda Pœnitentia,
prosequendū nobis est, quod inchoa-
uimus, præsertim cùm multum ad in-
stitutum nostrum faciat ea concio an-
geli, quã de Christo ad Mariã habuit.
Dicit enim angelus, paries filium, &
uocabis nomen eius Iesum, Hic erit
magnus, & filius altissimi uocabitur.
Dabit illi Dñs Deus sedem David
patris sui, & regnabit in domo Iacob
in

in æternum, & regni eius non erit finis. Egregia concio de Christo & regno eius, quæ & nobis in tractatione pœnitentiæ diligenter consideranda uenit. Diximus enim, quòd ad agendam pœnitentiã primùm omnium necessarium sit, ut doleamus de peccatis, hoc est, ut agnoscamus magnitudinem peccati, detestemur peccatũ & sectemur bonum. Et hoc tantùm est inchoatio, nō autem perfectio pœnitentiæ. Deinde, etiam necessarium est, ut credamus in Christum, q̄ propter ipsum habeamus remissionem peccatorũ & propiciũ Deum. Nam extra Christum, ut nullus est Deus, ita nulla est misericordia Dei. Non est nobis ullum nomen sub cœlo datum, in quo oporteat homines saluos fieri, præter q̄ nomen Domini nostri Iesu Christi. Ethnicus, Turca, Hypocrita possunt quidem gloriari de clemētia Dei ante reuelatum iudiciũ. Post q̄ aut̄ Deus reuelat iudicio suo magnitu

DE POENITENTIA

dinem & gravitatē iræ suę, ibi nullus
 hoim cōstare pōt, nisi habeat interces-
 sorem & mediatorem Christū, qui ab
 initio orbis inter hoies suo quodā mo-
 do p̄dicatus & adnunciatus est. Idem
 docet angelus in hodierna adnunciat-
 tione, de Christo em̄ ait: Dabit illi Dñs
 sedē David Patris sui, & regnabit in
 domo Iacob in eternum, & regni eius
 nō erit finis. Non cōcionatur angelus
 de corporali regno, sed de sp̄iali, quia
 inquit, nō fore finem huius regni. Oīa
 autē corporalia regna finem habent. In
 populo autē Dei præcipuus Patriar-
 cha fuit Iacob, unde descenderūt duo-
 decim Patriarchæ, & à quo propaga-
 ta est familia populi Dei. Præcipuus
 autē rex fuit David. Cū igitur ange-
 lus dicat Iesum acceptus gubernatio-
 nem domus Iacob & sedem Davidis,
 significat Iesum caput, propagatorē
 & defensorem esse Ecclesię. Quem
 qui non agnoscit Christum suū defen-
 sorem, is nullū habet locum in popu-
 lo

lo Dei, nec potest sibi aliquid pollice-
 ri de misericordia Dei. Quid nunc di-
 cemus? Num absoluta et perfecta est
 poenitentia, postquam agnitis peccatis cre-
 dimus in Christum, & per eum nobis
 peccata esse remissa? Nihil ne amplius
 nobis faciendum? Certè fide in Chri-
 stum absoluitur & perficitur poeniten-
 tia, si modò rectè illud intellexeris, &
 non abutaris ad licentiam carnis. Ac-
 cipiamus exempli gratia, latronem in
 cruce: is enim attulit ad crucem suam
 nihil præter sua latrocinia & gravissi-
 ma quæque scelera. Sed in cruce egit
 poenitentiam, & consecutus est eodem
 die paradysum à Christo. Audit enim,
 hodie mecum eris in paradiso. Quid er-
 go fecit? Primum doluit de peccatis,
 agnouit magnitudinem peccatorum.
 Detestatus est in se peccatum, et fecit
 bonum, quia reprehendit socium, ac
 defendit innocentem, cum antea in-
 nocentibus ademerat uitam. His ver-
 bis inchoata fuit poenitentia nondum

DE POENITENTIA

perfecta. Deinde credidit in Christū
 & inuocauit auxilium eius: Dñe, in-
 quiens, memento mei cū ueneris in
 regnum tuum. Hæc est cōfessio fidei
 et inuocatio. Mox autem promittitur
 ei paradisus. Itaq; latro cōsecutus est
 paradisum statim à fide in Christum.
 Aliud exemplum: Act. 10. Concionat̃
 Petrus gentibus incircuncisis, ex qui-
 bus maior pars attulerat ad concionē
 grauissima scelera. Gentes autem au-
 ditores concionis de Christo, post q̃
 agnitis peccatis crediderunt in Chris-
 tum, continuo donati sunt admirabi-
 libus donis spiritus sancti, sicut Apo-
 stoli. Quo testatus est Deus q̃ recepe-
 rit eos in gratiam, & iudicauerit eos
 sanctos. Et tamē nihil adhuc fecerāt,
 nihil ne dixerant quidem, imò nondū
 etiam baptisati erant. Aliud exemplū:
 Acto. 16. Paulus & Silas cōiecti erant
 in carcerem: post q̃ autem carcer fuis-
 set ab angelo apertus, & custos uole-
 bat sese interficere, reuocatur à Pau-
 lo,

lo, & postq̄ agnouit magnitudinem peccatorum suorum, tremens accidit ad pedes Pauli & Silę, ac dixit: Domini quid me oportet facere ut saluus fi am? Audit ergo: Crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu et domus tua. Quare uera pœnitētia absoluitur uera in Christū fide. Vbi ergo, inquis, manent bona opera? Vbi sacramenta, Absolutio, Cœna dominica? Hic nobis cōsiderandum est, quòd quemadmodum bona opera in contritione non expiant peccata, sed tātum ostendunt dolorem de peccato, & ducunt nos in agnitionem magnitudinis peccati: Ita nec bona opera post fidem in Christum, nec sacramēta expiant peccata ex merito operum suorum. Sed bona opera sunt fructus pœnitentię, & sacramenta sunt consolatio & confirmatio fidei in pœnitētia. Dicamus igitur primū de bonis operibus post fidem. Hęc enim etsi non merentur remissionem peccatorum, tamen ut

DE P OENITENTIA

sunt necessaria in contritione, ita etiam sunt necessaria in fide & post fidem. Nam Christus Dominus noster fit per fidem hospes noster, & inhabitat in corpore nostro. Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruet, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et 1. Corinth. 6. An nescitis quod corpora uestra membra sint Christi. Et Ephe. 3. Inhabitat Christus per fidem in cordibus uestris. Porro autem hic hospes & inhabitator, non aduenit uacuus, nec est ociosus, sed affert secum duo maxima beneficia. Alterum quod reconciliat nos Deo, et impetrat ut Deus reputet nos iustos, adoptet in filios, & tradat nobis ius æternæ hæreditatis propter ipsum, hoc beneficio nihil est maius. Alterum, quod donat nos Spiritu sancto, ut possimus uera & sincera bona opera facere ex corde. Nam priusquam Christus fuerit hospes aut inhabitator

bitator noster, oia bona opera quæ facimus, sunt legis opera, sunt insynce^{ra}, sunt seruilia, & proueniunt ex corde coacto, illiberali & seruili, ex animo tristi et timido, qualia sunt omnia hypocritarum opera, sed postq̃ Christus inhabitat per fidem, tunc dat Spiritum sanctum, ut faciamus bene ex corde spontaneo, liberali & filiali. Iere. 31. Dabo legem meã in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eam &c. Et Ioan. 4. Adorabunt Patrem in spiritu & ueritate. Nam qui nondum est renatus in Christo, is etsi inuocat Deum uerbis, tamen non audet attolere oculos, nec bene confidit de clementia Dei: non quarit gloriam Dei ex animo, quia nescit quomodo Deus erga ipsum afficiatur. Non beneficit parentibus ex corde, habet enim cor triste & timidum. Non agit candidè cum proximo, quia habet seruum animum & adhuc captiuũ cupiditatibus. Breuiter tristis est et amari animi

DE POENITENTIA

in omnibus suis actionibus & passionibus. Qui uerò est renatus in Christo, is incipit uera bona opera facere, quia inuocat Deum ex corde ut Patrem, quærit gloriã Dei hilari animo, Benefacit parentibus magna beneuolentia, Benefacit proximo læta conscientia. Et quanquam adhuc sentit quasdam imbecillitates & uitia in his bonis operibus, tamen Deus condonat ea propter Christum inhabitantem. Quare ubi non sequuntur bona opera, quæ Deus præcepit, ibi manifestũ argumentũ est, quòd pœnitentia nec sit inchoata nec perfecta. Non est inchoata, quia signum est, q̄ talis homo nondum doleat de peccatis, nec detestetur ea. Non est perfecta, quia signũ est, quòd talis homo non habeat Christum inhabitantem, 1. Ioan. 3. Qui exercet iusticiam, iustus est, sicut & ille iustus est. Qui committit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Quare etsi bona opera non

non sunt merita expiationis peccatorum & uitæ æternæ, tamen necessariò sunt facienda tam in contritione quàm in fide, ut & declaremus fidem nostram, & nō amittamus Christum hospitem nostrum, qui solus est iusticia & sanctificatio nostra, Qui est unà cum Deo Patre & Spiritu sancto laudandus Deus in secula, Amen.

HOMILIA QUINTA.

De Sacramentis.



Stendimus heri quòd ad agenda poenitentia & absoluendam requiratur, post agnitionem peccatorum, fides in Christum, propter quem solum cōsequimur coram Deo peccatorum remissionem. Diximus etiam, q̄ etsi bona opera non sint peccatorum expiatio, tamen requirantur, tam in contritione quàm in fide. In contritione, ut declaremus nos odisse peccatum, & discamus magnitudinem peccati agnoscere: In fide

DE POENITENTIA.

autem, ut obediamus spiritus uocationi, et declaremus gratitudinem nostram, ac retineamus hospitem Christum, qui eijcitur inobedientia & turpitudine uitæ. Quare qui adhuc ambulat in peccatis, ac seruit peccato, is nec in Christianorum, nec in poenitentium ordine censendus est.

Nunc etiam de sacramentis quædam dicamus, ut discamus in quem usum accipienda sint. Sacramentum autem est uisibile signum à Christo adiunctum uerbo promissionis seu Euāgelio, ut quod in Euangelio promittit credenti, priuatim applicetur, & in conscientia eius confirmetur. Christus enim nouit humanam imbecillitatem. Itaque non fuit contentus instituere nudam concionem Euāgelij sui, sed adiunxit etiam quædam externa & sensibilia signa uerbo, quò fortius id, quod promittitur, auditori inculcetur & tradatur. Obseruandum autem est, quòd sacramenta non faciant hominē Christianum,

Christianum, sed hominem antè Christianum confirmant in fide Christianismi. Dicamus igitur primùm de baptismo. Baptismus enim est intinctio eius qui baptisatur, in aqua, quæ seu intinctio, seu perfusio fit per ministrum Ecclesie, nomine, uice & mādato Dei Patris & Filij & Spiritus sancti. Hoc autem sacramentum est institutum in hunc usum, ut quod in Euangelio nudis uerbis promittitur & creditur, per baptismum priuatim credenti applicetur ac confirmetur. Nam baptismus nulli datur, nisi antè credat, aut profiteatur se credere. Nullus Iudæus, nullus Turca, nullus Ethnicus baptisatur, nisi uolens & credens suscipiat. Vide exemplum Eunuchi in Actis Apostolicis capite 8. Item exemplum Ethnicorum, Acto. 10. qui antè acceperant spiritum sanctum, & erāt Christiani quā̄m baptisarentur aqua. Solent & pueri non baptisari, nisi antè per susceptores suos profiteantur

DE POENITENTIA

se credere, hoc est, nisi antè per fidem sint Christiani et filij Dei. Sed quomodo, inquis, infantes sunt filij Dei antequàm baptisantur? Num idcirco sunt Christiani seu filij Dei, quò nati sint ex parentibus Christianis? Absit. In Ioanne dicitur: Qui non ex sanguinibus, nec ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate uiri nati sunt. Et: Quod natū est ex carne, caro est. Quare infantes Christianorum non fiunt filij Dei ex eo quò nascuntur à parentibus Christianis, sed quòd pertineant ad eam promissionem, quæ est gentibus diuinitus data. Ad Abrahamum enim dicitur: In semine tuo benedicentur omnes gētes. Et postea Christus ait ad Iudæos: auferetur à uobis regnū, & dabitur genti facienti fructum. Vnde etiā uulgarè in Euangelio Christi, Iudæi abiecti sunt, ne sint populus Dei: Gentes autē electæ, iuxta illud Hoseæ: In loco ubi dicitur eis nō populus meus, dicitur eis, filij Dei uiuentis. Quare ubicunq;

sunt

sunt gentes inter quas prædicatur Euangelion Christi, & quæ agnoscunt se Ecclesiam Christi, ibi omnes harum gentium infantes agnoscuntur à Deo pro filijs suis propter promissionem gentibus factam. Nam quemadmodum omnes infantes de semine Abrahamæ agnoscebantur à Deo pro filijs suis, etiam si ante octauum diem non circumciderentur, sed aliquoties morte extinguerentur, priusquam susciperent circumcisionem. Agnoscebantur autem filij Dei non propter carnalem generationem, sed propter promissionem Dei, ita & filij earum gentium, quæ sunt Ecclesia Christi, & inter quas prædicatur Euangelion Christi, agnoscuntur à Deo pro filijs suis, etiam antequam baptisati fuerunt. Papistæ habuerunt proprium cœmeterium pro infantibus non baptisatis, sed hi sunt cæci homines; infantes enim in Ecclesia nati, sunt filij Dei. Non debemus autem differre diu baptismum, sed quam

DE POENITENTIA

primūm fieri potest baptismus suscipiendus est, ut quod generaliter infanti promissum est per baptismum, priuatim et applicet & confirmet. Sicut enim in benedictione nuptiarum sponsus et sponsa antea facti sunt coniuges per consensum & sponsalia. In publica autem benedictione confirmat coniugium ipsorum: ita et in baptismo fit confirmatio eius coniugij, quod Christus antea inijt cum infante aut adulto, qui baptismum petit. Quare quoties Satan tentat conscientiam nostram, & iubet nos dubitare de hereditate caelesti, ponendus nobis est ob oculos baptismus, per quem sanctificati seu confirmati sumus ad caelestia bona possidenda, quae nobis per Euangelion promissa sunt, unde & Petrus uocat baptismum stipulationem, qua habemus bonam conscientiam coram Deo.

Haec tenus de baptismo. Nunc de absoluteione pauca dicemus. Etsi autem absoluteio non est tale uisibile signum, quale baptismus & coena dominica:

tamen

tamen numeratur inter sacramenta,
propterea quod reducat nos ad sacramen-
tum baptismi, & sit quodammodo re-
petitus baptismus. Nam baptismus
aquæ semel tantum exhibetur, sicut &
consecratio, seu benedictio publica nu-
ptiarum semel tantum peragitur. Sed
quemadmodum saepe solent inter coniu-
ges incidere lites & iurgia, ut a se inui-
cem separentur cohabitatione et con-
uictura et post baptismum saepe sole-
mus peccare, ut amittamus Christum
in quo renati fuimus. Quid ergo sit in-
dissidijs coniugum? Num ad reconci-
liandum iterum instituuntur publicæ nu-
ptiæ & consecrationes? Nequaquam, sed
amici reconciliant eos humanitate, ut
iterum conueniant. Ita & in reconci-
liatione peccatorum, non est iterum suscipien-
dus baptismus, sed est audienda abso-
lutio, quæ restituit nos iuri baptismi,
& est quodammodo repetitus bap-
tismus, ideoque merito inter sacramenta
numeratur. Instituit autem Christus

DE POENITENTIA

absolutionem, & uoluit eam esse efficacem in credente. Dicit enim: Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorumcunq; retinueritis, retenta sunt. Et: Qui uos audit me audit. Item: Prædicate Euāgelion omni creaturæ, qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Quare absolutio post peccata diligentissimè petenda est, ut restituamur iuri baptisami, è q̄ per p̄ctā excideramus, et ut cōscientia nostra aduersus iudicium damnationis cōfirmetur. Reliqua ad huc est Cœna dñica, quæ & ipsa non facit Christianū, sed Christianū in fide confirmat. Nam Christus in Euangelio promittit, q̄ simus caro & sanguis eius, si credimus in ipsum. Itaq; sicut Christo nihil potuit nocere paupertas, crux, mors, & omnia alia generala calamitatum, ita ei qui credit in Christum & factus est caro & sanguis eius, non potest incommodum afferre Satan, peccatum, infirmitas, paupertas &

tas & mors. Sed ut in hac fide magis confirmemur, non est cōtentus Christus nudis tantum uerbis hoc promittere, sed adiecit sacramentum Cœnæ Dominicæ, & instituit ut pane exhibeatur corpus suum, uino autem sanguis eius, quò afflicti habeant consolationem & confirmationem fidei. Hic est uerus & legitimus usus Cœnæ dominicæ. De utraq; specie nunc nō est differendum, quia perspicuum est, quod Christus utraq; speciem instituerit, nec licet cuiquam hominum hoc institutum Christi mutare. Sed de usu cœnæ pauca dicamus. Quæritur enim in quem usum, seu propter quid sumimus Cœnam dominicam? Hic initio generalis causa obseruetur, quæ est ordinatio & mandatum Christi. Itaq; respondendum est, Nos idcirco sumere Cœnam dominicam, ut obediamus ordinationi Christi. Hæc est generalis causa, sed postea speciales & priuatæ causæ sunt. Cœna enim Do-

&

DE POENITENTIA

mini est confirmatio fidei. Iam alius est pauper & sollicitatur putare se non esse Deo acceptum propter paupertatem: Alius corpore infirmus: Alius est obrutus timore mortis. Hi sollicitantur existimare se à Deo derelictos. Quare debent sumere cœnam Domini ad confirmandam conscientiam in fide. Et cùm interrogantur ob quã causam uelint sumere sacramentum Cœnæ Dominicæ. Generalis responsio est, ut obediant ordinationi Christi. Specialis autem, ut alius confirmet conscientiam suam in afflictione paupertatis, ne existimet se à Deo derelictum, sed esse carnem et sanguinem Christi. Alius in afflictione morbi, alius in afflictione iudicij mortis &c. Hic uides quantum peccent, qui negligunt sumptionem Cœnæ Dominicæ. Primum enim contemnunt ordinationem Christi. Deinde perspicue significant se nullam habere cogitationem salutis suæ. Nam si cogitarent

rent de salute sua, certè haberent etiã
am speciales tentationes in quibus e-
gerent confirmatione & consolatio-
ne sacramentorum. Et in summa ta-
les homines sunt impœnites, itaq;
in tentationibus spiritualibus despe-
rant. Quare ne intereamus, agenda
est pœnitentia in tempore, & agenda
est eo modo, quem explicuimus, uide-
licet, ut agnoscamus peccata, creda-
mus in Christum, faciamus bona ope-
ra, utamur sacramentis ad confirma-
tionem fidei, ut per Pœnitentiam effu-
giamus omnia mala, et consequamur
ueram beatitudinem propter Iesum

Christum, qui est unã cum Patre

& spiritu sancto laudandus

Deus in secula,

Amen;

& 2

Alia conciones

DE POENITENTIA.

HOMILIA PRIMA.

Quàm necessaria sit Pœnitentia



VM reuolutio huius anni peruenit ad hoc tempus, quod solemus uocare, quadragesimã, accommodabimus etiã nos temporì, & tractabimus diuino auxilio eam doctrinam, quæ in Ecclesia Christi præcipuum locum tenere debet. Sæpenumero autem diximus, quadragesimam, quam uocant, non esse utendam hypocriticè, sed Christianè, uidelicet ut sobrii conueniamus ad discendam & sectandam doctrinam de pœnitentia, & de inuolutione ac mutatione uitæ nostræ in melius. Videndum ergo est, non solum, quàm utile, uerum etiam quàm necessarium sit agere pœnitentiam, & certam ac probè perspectam cogni-

cognitionem uerę pœnitentię habere. Etenim semper ac per totam nostrã uitam pœnitentia agēda est. Exigitur enim pœnitentia maximè etiam à peccatoribus. Sumus aut̃ peccatores per totam uitã nostram: Non semper quidem extrinsecus coram hominibus peccamus, semper tamē gestamus & circumferimus nobiscum peccatū in carne & sanguine nostro. Quare nunquã non est nobis agenda pœnitentia, quoad in hoc seculo uixerimus. Et in quauis calamitate iubent̃ homines pœnitentiã agere. Si grassatur pestis, si bellum mouetur, si fames malū minatur, solent cōcionatores uocare populum ad pœnitentiam, & uite mutationem in melius. Ac si unquē necessarium fuit, ut teneamus uerã rationē pœnitentię, & mutemus uitã nostrã in melius, certè hoc tempore maximè necessarium est. Nam siue considera-ueris res publicas, siue res priuatas, certè difficillima sunt tempora, & lon-

DE POENITENTIA

gè omnium periculossima, publicè
 Turca imminet ceruicibus nostris, et
 incerti sumus, tam de facultatibus q̄
 de uita nostra. Premit etiã nos grauif-
 sima rerū penuria. Præterea metuen-
 da est & horrenda pestis. Speramus
 quidē omnia breui meliora fore, sed
 p̄fecto frustra hoc speramus nisi nos
 ipsi meliores fiamus. Nec inducamus
 in animum nostrum, q̄ externæ res fi-
 ant meliores, nisi nos fiamus melio-
 res. Quid enim prodesset, etiam si ne
 Turca quidem nobis molestus esset,
 & omnis foret rerum abundãtia atq̄
 tranquillitas? si nos non mutaremus
 uitam nostram in melius? Vt iustifice-
 mur nihil proderit externa fœlicitas.
 Nunc aut̄ res nostræ non sunt in tam
 bono statu, ut securè possimus sterte-
 re, sed omnia nostra uersantur in sum-
 mis periculis. Primùm facultates si-
 quæ sunt patent direptionibus hostiū.
 Deinde, uitam corporis aufert hostis
 aut mors. Præterea, corpus absument
 uermes:

uermes. Postremò, quod omniũ maximũ est, Satan minatur propter peccata nostra, se abducturum animã nostram in perpetuũ exitium. Itaq; omnia nostra stant in summo periculo, facultates, uita, corpus & anima. Quid ergo faciendum est? Hoc nimirum, quod in incēdio fieri solet, festinemus eripere & seruare, quod est preciosissimum, seruemus & eripiamus ANIMAM, nam si hanc aut salutem eius amittamus, omnia alia amittuntur, etiam si seruantur. Si autem hanc serauerimus, omnia alia seruãtur, etiam si amittuntur. Seruatur autē anima per Pœnitentiam, per resipiscentiam, si, uidelicet, mutauerimus uitam nostram in melius. Quare diligentissimè discendum est, quomodo debeamus agere pœnitentiam & uitam in melius mutare. Non solum autem futura pericula, sed & quæ præteriere debent nos excitare, ut capeamus pœnitentiam. Nam qui uiuit sine pœnitentia,

DE POENITENTIA

& discedit ex hoc mundo nō mutata
 uita sua in melius, is nō solum frustra
 uixit, sed etiā suo maximo malo uixit.
 Memento, obsecro, quot ab initio ui-
 tæ mala passi simus & adhuc patia-
 mur. Primū, uenimus in hunc mun-
 dū plorantes & eiulantes, deinde uin-
 cti fuimus in cunabulis. Ad hæc, edu-
 cati sumus uirgis & uerberibus. Po-
 stea accesserūt nonnuncq̃ morbi, item
 labores, dolores, angustię et uaria ma-
 lorum genera. Quid? tam ne impru-
 dentes erimus, ut hæc omnia frustra
 sufferamus? Sufferuntur aut frustra,
 si manserimus impœnitentes, & dese-
 ramus hoc seculum in impœnitentiã.
 Quare summa nobis dāda est opera,
 ut ueram pœnitentiã rationem disca-
 mus, quò eam reuera sectemur, ac si
 nihil aliud, saltem ex tot malis animã
 nostram seruemus, per Dominum
 nostrum Iesum Christum, qui est unã
 cum Patre & Spiritu sancto laudan-
 dus Deus in secula, Amen.

Homilia

HOMILIA SECUNDA.

Quomodo agenda sit pœnitentia.

Stendimus superiori cō-
sione, quàm necessariū
nobis sit, ut Pœnitētiam
agamus, sed ut de hac re
diligentius cogitemus,

repetam eas necessitates. Primūm e-
nim, difficillima sunt tempora, publi-
cè hostis imminet capiti, penuria rerū
nos premit, metus pestilentiae nos so-
licitos tenet. Finge aut nullas esse pu-
blicas calamitates, tamē priuatae sunt
certissime. Nihil enim certius est mor-
te, & nos grauiter peccauimus. Idcir-
co amici superstites expectāt hæredi-
tatem bonorū nostrorum. Vermes
expectant corporis corrosionem &
absumptionem. Satā autem expectat
animæ direptionem propter peccata
nostra. Quid potest dici periculosi-
us? Nec ullus est hominum, qui nos
ab hoc periculo seruare possit. Neces-
sarium est auxilium e cœlo, necessa-

DE POENITENTIA

rium est auxiliū Domini Dei nostri.

Habentur quidem aliquoties consilia principum, ut deliberent de salute Reipub. Ac certē diligenter orandum est, ut Deus consilia eorum fortunet. Principes sunt capita Reip. Si caput uacillat, membra constare non possunt. Attamen illa hominum consilia non possunt nos in maximis periculis seruare, possunt fortassis aliquā externam asserre tranquillitatem in rebus humanis, sed non possunt nos liberare à summis illis & perpetuis malis. Hic deficiunt omnes humane uires. Necessarium ergo est auxiliū de cœlo, quia nullum inuenimus in terra. Necessarium est auxiliū Dei, quia nullus hominum potest nos seruare. Sed quomodo consequimur auxiliū Dei? Non possumus cōsequi, nisi per ueram poenitentiam, nisi per mutationem uitæ nostræ in melius. Conuertimini ad me, dicit Dominus, & ego cōuertar ad uos. Discamus et

go quomodo debeamus agere pœnitentiam, & conuerti ad Dominum, ut ipse cōuertatur ad nos, & seruemur. In agenda igitur pœnitētia, & mutanda uita in melius: Primum omnium necessarium est, ut fugiamus peccata, et faciamus bona opera. Hic nunc considerandum est, quæ sint uerè peccata coram Deo. Sunt enim qui trepidant timore, ubi nō est timor. Sunt qui fingant peccata, ubi nō sunt peccata, & in ueris pœnitentiis securi sunt. Faciamus igitur duplicia peccata, similiter & duplicia bona opera: Alia hypocritica, quæ homines sibi ipsis fingunt, ut uerbi gratia carnibus in sexta feria, & infinita id genus alia in Pontificia religione. De his peccatis ita sentiendum est, quod non reputetur per se coram Deo pro peccatis: Alia sunt uera peccata, quæ uerbum Dei docet esse peccata coram Deo. Et hæc peccata agnoscuntur ex Decalogo. Similiter & uera bona opera. Percurramus igitur Decalogum

DE POENITENTIA

ut uideamus quæ peccata fugienda,
& quæ bona opera facienda sint.

Primum præceptum est: Non colles alienos deos. Hic prohibetur idololatria & mandat cultus unius Dei. Varia sunt genera idololatriæ, longum esset omnia enarrare. Nos tantum necessaria nobis indicabimus. Idololatria est missa Papistica. Primum, quia nulla est ibi consecratio, quæ non utantur ordinatione Christi. Deinde, quia habent missas pro expiationibus peccatorum. Idololatria est etiam cultus sanctorum, quia tribuunt sanctis diuinitatem inuocatione. Nam cum inuocant sanctos, sentiunt ipsos audire preces, hoc est, esse ubique, & sentiunt ipsos posse in morte seruare, & ad cælum euehere, quæ certè sunt opera diuinitatis, quare cultus sanctorum est manifesta idololatria. Idololatria quoque est, confidere meritis operum suorum, ergo quicumque ab hac idololatria non resipiscit, non seruatur à malis. Hoc peccatum

peccatum uitādum est, & faciendum est bonum opus, ut confidas te sola Dei misericordia saluari per Iesum Christum filium suum. Idololatria similiter est, uti consecrationibus, ueneficijs & alijs artibus magicis. Cauendum est ab hoc peccato & faciendū bonum opus, uidelicet, ut audiamus Euangelion Christi, & petamus nostram benedictionem in Christo. Sicut docet Mose Deut. 18. Gentes istarum quarum terram possidebis augures & diuinos audiunt. Tu autem à Domino aliter institutus es: Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies.

Secundum præceptum est: Non assumes nomen Dei tui in uanum. In hoc præcepto prohibetur impatientia & uirulentia in aduersis, & exigent oratio, & gratiarum actio: item prohibentur maledicta, quæ fiunt abusu nominis Dei, & exiguntur benedicta

DE POENITENTIA

&c. Ergo qui in aduersis uirulenta uerba proijciunt aduersus Deum & homines, & abutuntur nomine Dei ad execrationes, non agunt poenitentiam, nec seruabuntur.

Tertium: Sabbatum sanctifices: Hic prohibetur neglectus uerbi diuini, neglectus puerorum in docendo Catechismo. Mandatur autem diligens auditus uerbi et doctrina puerorum. Quare qui negligunt praedicationem Euangelij & eruditionem suorum puerorum, hi non agunt poenitentiam, nec seruantur.

Quartum: Honora parentes: Non solum exigit, ut non percutias parentes, sed etiam ut adiuues eos. Parentes ut senes natura sunt parci. Debent igitur liberi operam dare, ut parentum consulant necessitati.

Quintum: Non occidas: Hic prohibentur etiam odium, inuidia, iracundia &c. Ergo qui adhuc odit proximum, & detrahit de bona fama eius, nondum

nondum agit pœnitentiã, nec conuertitur ad Dominum, neq; seruatur.

Sextum: Non committas adulterium. Hic prohibetur omnis scortatio & mollicies, & exigitur castitas.

Septimum: Non fureris: Prohibet imposturas, & exigit iusticiam, prohibet falsa pondera, iniustã mensuram, & omnem dolum &c.

Octauum: Prohibet omnia mendacia & uiolationem pactorum ac promissorum. Exigit ueritatem & obseruantiam pactorum &c. Nonum et decimum, prohibent etiã conatum & desideriu ad peccata, & exigunt summam dilectionem Dei & hominum. Percurri breuissimis Decalogum. Nã copiose solet tractari eius explicatio in alijs concionibus. In hoc ergo Decalogo cognoscendum est, quid bonũ, quid malum, ut illud sectemur, hoc aut uitemus. Et ad hoc debet nos excitare grauissima atque seuerissima ira Dei aduersus peccatũ, Deus enim nõ

DE POENITENTIA

afficitur frigidè erga peccatū, sed tanto odio, ut ita dicam, prosequitur peccatum, quòd puniat ipsum corporalibus & spiritualibus, externis & æternis supplicijs. Obserua exempla leuissimorum, ut uideatur, peccatorum, & uidebis imperuestigabilem iram Dei aduersus peccatum. Adam peccauit esu pomi, hoc uideatur admodū leuiculum, sed tanti reputatur, quòd non solum Adam propter ipsum factus sit obnoxius omnibus corporali- bus et æternis supplicijs, sed etiam omnes posterius eius. Saul peccauit festinatione sacrificij, 1. Regum 13. Sed Deus intantum iratus fuit, ut non solum ipsum Saulem, sed & posteritatem eius à regno abiecerit. Ufa peccauit tangens contra uerbum Domini arcam, sed ita Domino displicuit, ut repente mortuus sit, 2. Regum 6. Ananias & Sapphira uxor eius mentiebantur de suis proprijs bonis, Acto. quinto, quod uidebatur uulgare peccatum

catum, Sed Deus ostendit irā suam, quia ad unū Petri uerbum ambo conjuges mortui sunt repentina morte. Vides seueritatem iræ Dei, quæ his externis supplicijs aduersus leuia, quæ sic uidentur, peccata, ad agēdam pœnitentiam nos prouocat. Quare hæc seueritas debet nos excitare ut fugiamus peccata, & faciamus bona opera, per Iesum Christum Dominū nostrum, qui est unā cum Patre & spiritu sancto laudandus Deus in secula, Amen.

HOMILIA TERTIA.

In die Adnunciationis Mariæ, de grauitate iræ Dei aduersus peccata, & clementia eius erga iusticiam.



QVam historiā ex Euangelista Luca recitauimus, continet id, quod est præcipuū in Christianismo.

Describitur enim in ea legatio archangeli Gabrielis, qua adnunciatū est Mariæ uirgini, quod ipsa conceptura &

DE POENITENTIA

paritura esset filium Dei Iesum Christum seruatorem nostrum. Hic autem Christus summum omnium est, quæ in cælo & quæ in terra sunt. Hic unus est tota salus hominum, in hunc solum respexerunt omnes Patriarchæ & Prophetæ ab initio orbis terræ, in hoc solo iustificantur et seruantur, quotquot iustificantur & seruantur. Quare cum hodiernum Euangelion contineat eam legationem, qua adnunciatum est, quod is Christus nasciturus sit ex uirgine Maria, manifestum est, quod contineat præcipuum negocium Christianæ religionis. Sed quia tractamus hoc tempore de uera poenitentia ratione, & peruenimus propè ad eam partem, qua dicendum est de iusticia, quam habemus in Christo: Idcirco pergemus in explicatione poenitentia. Sic enim fiet, ut concio angeli in hodierno Euangelio contenta, offerat sese in ipsa sermonis serie perstringendam & explicandam. De agenda autem poenitentia

nitentia sic heri diximus, uidelicet, quod
necessarium sit, ut fugiamus malum,
& faciamus bonum. Malum autem
& bonum cognoscimus ex Decalogo,
quem etiam breuissimis percurramus.
Nunc uidendum est nobis, quanta se-
ueritate Deus exigat obseruationem
decalogi, quantaque grauitate mandet
nobis, ut fugiamus malum, & facia-
mus bonum. De qua re, cum pauca
ante dixerimus, copiosius nunc loque-
mur. Non enim sentiendum est, quod
Deus tam frigidè afficiatur erga ma-
lum seu peccatum, & bonum seu ius-
ticiam, quam nos homines solemus affi-
ci. Nam Deus intantum irascitur pec-
cato, quod puniat ipsum corporalibus &
spiritualibus, externis & æternis sup-
plicijs. Idque non solum in autore pec-
cati, uerum etiam in posteritate eius.
Sic enim dicit: *Visitans iniquitatem*
patrum in tertiam & quartam gene-
rationem eorum qui oderunt me. Vide
mihî exempla quædam leuissimorum,

DE POENITENTIA

Die Bins
der nasche
gern.

ut uidetur, peccatorum, quorū etiam aliqua supra cōmemorauimus. Adā comedit de pomo, quod erat ei prohibitū. Jam opus ipsum uidetur esse leuissimū momētū, ac planē puerile. Sed cōsidera grauitatem irę diuinę. Deus enim intantum irascitur, q̄ auferat spiritum sanctū suum, & tradat Satanę puniendum temporalibus & æternis supplicijs, non solum Adamū ipsum, uerūm etiā omnem posteritatē eius. Quid irę seueritas, si hæc non est? Aliud exemplum, Saul fuit electus in regem Israëlis, & iussus erat expectare in Gilgal aduētum Samuelis septem diebus, Saul expectauit quidem usq̄ ad septimū diem, Sed præuenit sacrificiū una aut altera hora tantū, priusq̄ Samuel ueniret. Hoc uidet̄ peccatum prorsus, ne requirendū quidē. Quid enim rex expectaret hominē senicuum? Et tñ Deus sic iratus fuit, ut non solum Saulem, sed etiam omnem posteritatē eius indignam imperio suo dicaret,

dicaret, & ab imperio deijciendū decerneret. Huc fortassis non ineptè refertur & illud, quod in Actis Apostolicis de Anania & Sapphira scriptum est: Mentiebantur illi de suis proprijs facultatibus, Ac uidetur quidem esse tolerabile mendacium. Deus autem tanta indignatione commouetur, ut ambo cōiuges ad uocem Petri repentina morte intereāt. Possent & alia cōmemorari, sed hęc sufficiunt ad ostendendam gravitatem diuinę irę aduersus peccata. Sicut em̄ tenebrę & lux, nigrum & albū, non possunt sese mutuo ferre, alterū expellit alterum: ita Deus & peccatum non possunt cōuenire. Deus est summum bonum, peccatum est summum malum, inter hęc nulla est reconciliatio. Quare Deus exigit fugā peccati severissimē & constantissimē, ac nisi fugiamus, obijcit nos externis & æternis supplicijs. Cōtrā aut̄ intantum fauet bono seu iusticię, q̄ propter iusticiā benefaciat, nō

DE POENITENTIA

solum auctori seu factori, sed etiam posteritati eius, ac beneficiat eis tam eternis quam æternis beneficijs. Dicit enim: facies misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt mandata mea. Quare in agenda poenitentia debet nos ad fugam peccatorum, et ad sectandam iusticiam excitare maxima severitas Dei erga peccatum, & clementia eius erga iusticiam. Quid ergo? Num si hæc fecerimus, absoluius iam poenitentiam? Certè absolueremus eam, si peccatum verè fugeremus, et perfectam iusticiam faceremus. Sed cum accingimus nos ad fugiendam peccatam, & faciendam iusticiam, tunc primum occurrunt nobis præterita nostra peccata. Sumus nobis conscijs, quod multa & magna designauerimus peccata aduersus Deum. Ideoque excitatur in nobis timor inferni, Metuimus iram Dei, ne abiecerit nos, et non respiciat nostra opera, quippe qui grauissimè eum peccatis offenderimus, et digni simus perpetua dampnatione.

Deinde

Deinde occurrit nobis presens peccatum nostrum, quod adhuc inheret in carne & sanguine. Non enim abijcimus omnem dubitationem de Deo, omnem diffidentiam, non excutimus a nobis uoluptatem peccandi, nec inuenimus in carne nostra, quod possimus perfectam iusticiam facere. Semper adheret nobis uitium etiam cum suscipimus optimum opus iusticie faciendum. Ergo ex hoc intelligimus rem nostram multo peius sese habere, quam antea. Quid igitur faciemus? quomodo nos uertemus? Hic nunc diuiduntur homines in uarias sectas: Alius desperat, Alius arripit sua sacra Iudaica, Alius sacra sua Mahumetica, Alius sacra sua Monastica, quorum meritis confidunt se placaturos iram Dei: sed nullus horum seruator, nisi ueram rationem salutis cognouerit, ac sectatus fuerit. Vera autem salus constat in solo Iesu Christo, quem in hodierno Euangelio Gabriel Marię adnunciat. De qua re pauca nunc nobis dicenda sunt, quæ

Da gehe
es nun an
ein Schei-
den.

DE POENITENTIA

& nonnihil facient ad nostræ propo-
 sitionis de poenitentia. Cum em̄ uenit ple-
 nitudo temporis, q̄ missurus erat De-
 us filium suum in hunc mundum, ele-
 git Mariam uirginem de tribu Iuda et
 Davidis familia, ut esset mater eius. Is-
 deo q̄ mittit ad eam archangelum Ga-
 brielem, qui apparendi ei, initio salutatur
 eam: Aue, inquit, gratia plena, Dñs
 tecum etc. Deinde exponit ei causam
 legationis suæ: Ecce, inquit, concipies
 & paries filium &c. Et addit postea:
 Spiritus sanctus superueniet in
 te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi
 &c. Cæterum, quæ res in hac historia
 tractatur, maxima omnium est, et salutis
 nostræ omnino necessaria. Et tamen
 hypocritæ abusi sunt hac salutatione
 impijssimè. Sed audiamus nos cōcio-
 nem angeli. Ait enim: Concupies et pa-
 ries filium, ac uocabis nomen eius Ie-
 sum. Is erit magnus, et filius altissimi:
 Sedebit in throno David, regnabit in
 domo Iacob in æternum, & regni eius
 non

non erit finis. Et in summa angelus
uult dicere, filius tuus erit uerus ille
Messias, quem Prophetæ uenturum
dixerunt. Multa essent hîc explicâda,
sed pergendū nobis est in nostro pro-
posito. Hic ergo Iesus, uerus Messias,
ideo natus & datus est nobis, ut esset
seruator noster. Affert igitur secū præ-
cipuè tria beneficia, quātum quidem
ad rationem uerę pœnitentię attinet.
Primum beneficium est, q̄ quicumq̄
crediderit in eum, consequatur remis-
sionem omnium præteritorum suorū
peccatorum, & recipiatur in gratiam
Dei. Secundū beneficium, q̄ quicumq̄
crediderit in ipsum, nō imputetur im-
perfectio, quę adhuc adheret ipsi, sed
imputetur ei perfecta illa iusticia, quā
Christus habet. Tertium beneficiū, q̄
Christus donet credentem in ipsum
spiritu sancto, ut deinceps bona ope-
ra ex animo sectemur, & quanq̄ uiti-
um peccati non perfectē aboleatur in
carne, tamen spiritus sanctus facit, ut

DE POENITENTIA

uincatur hoc uitium, & sectemur uocationem Dei. Quare, cum in fugiendo malo, & sectando bono sentimus nostram imbecillitatem & damnationem, accedendum est fide ad Christum, per quem solum potest nobis liberatio contingere ad perpetuam foelicitatem, qui est una cum Patre & Spiritu sancto laudandus Deus in secula, Amen.

HOMILIA QUARTA.

Quomodo consequamur Christum.

Pergendum est de Poenitentia. Diximus autem, quod postquam incipiamus fugere peccata, et facere iusticiam (hoc enim necessarium est ad agendam poenitentiam) conturbant nos, Primum, preterita peccata, Deinde, praesens peccatum, quod adhuc in carne inhæret, & quod nos sollicitat ad perpetranda futura peccata. Itaque oritur timor mortis et inferni ac damnationis. Sed huic rei ostensum est remedium, uidelicet, IESVS Christus

Itus seruator noster. Is enim proposu-
it sese nobis comitatum triplici benefi-
cio, uno, q̄ expiauerit peccata nostra
præterita, & remiserit culpam eorū,
Altero, quòd donet nobis suam iusti-
ciam, qua tegatur & non imputetur
præsens peccatū, imò omnia peccata
tam præsentia quàm præterita, Tertio
quòd det Spiritum sanctū, qui ducat
nos in ueram obedientiam Dei, in in-
uocationem nominis Dei, & caritatē
proximi. Proximū est ergo, ut ostend-
damus, quo modo, qua ratione, qua
uia consequamur & conseruemus in
nobis Christum. Ab hoc enim solo os-
mnis salus nostra pendet. Non est, in-
quit Petrus, aliud nomen hominibus
sub cælo datum, in quo oporteat nos
saluos fieri. Quare in hoc studium to-
to corde incumbendum est, ut asse-
quamur Christum, & assecutum con-
seruemus. Hoc opus, hic labor est. As-
sequimur ergo Christum fide. Ioan-
nis enim ca. 1. dicitur: Dedit potestatē

DE POENITENTIA

filios Dei fieri (hoc certè est membrũ
Christi fieri) his qui credũt in nomen
eius. Et cap. 3. Sic Deus dilexit mun-
dum, ut filium suum unigenitum da-
ret, ut omnis, qui credit in eum, non
pereat, sed habeat uitam eternã. Chri-
stus ergo accipitur fide, de qua re ex-
tant multæ conciones in Ioanne. Fi-
des autem non nascitur nobiscum in
carne, Homines enim afferũt quidem
secum in hunc mundum humanam
quandam rationem, & cognitionem
boni ac mali, quæ est cognitio legis,
Sed non afferũt secum fidem, quæ est
cognitio Christi: fides enim est nouũ
donum Dei præter rationem. Etsi au-
tem humana ratio non potest ex sese
cognoscere et apprehendere Christũ
filium Dei, tamen prædicatio de Chri-
sto filio Dei semper fuit in orbe terra-
rum. Et qui fuit sollicitus de uera sua
salute, potuit eã prædicatione cogno-
scere, nec quisq; in toto orbe terrarũ
habet excusationem, nemo potest dici
cere,

Ratio non ap-
prehendit
Christum.

cere, mea ratio ignorat natura sua
 Christum, quare non debeo damnari
 propter ignorantiam Christi. Nam *Prædicatio*
 huic obijcitur, q̄ semper extiterit pu- *Euangelij*
 blica prædicatio et publicum testimo- *semper fuit*
 nium in terra de filio Dei, itaq; si quis *in orbe terra-*
 tam diligenter sectatus esset uerã co- *rum.*
 gnitionem salutis suę, q̄ diligenter cu-
 rantur ea quæ sunt uentris, certè po-
 tuisset de uera religione erudiri. In Ge-
 nesi enim postquam Adam peccasset,
 statim reuelatur concio de filio Dei,
 quòd expiaturus sit peccata, cum dici-
 tur: Semen mulieris conteret caput
 serpentis. Et hæc concio commenda-
 ta est atq; conseruata, aut etiam expo-
 sita fuit per sacrificia, quæ statim usita
 fuerunt in familia Adæ. Abel obtu-
 lit de primogenitis gregis sui &c. Un-
 de obsecro uenisset aut Adamo aut
 Abelo in mentem, q̄ offerenda essent
 Deo pecora? Certè spiritus Dei docu-
 it, ut significaret uenturum filiũ Dei,
 qui peccata expiaret. Hęc concio fuit

DE POENITENTIA

in orbe terrarū ab Adamo usq; ad diluuiū, intra hoc tempus nullus habuit excusationē ignorantie, quia publica fuit prædicatio de Christo inter Patriarchas. Post diluuiū sacrificauit & Noë coram filijs suis, et tradidit doctrinam de semine mulieris seu filio Dei suis posteris. Hęc cōcio sacrificij cōmendata, mansit in orbe terrarum usq; ad Abrahamū inter oēs gentes, nec hic quisq; habet excusationem. In Abrahamo restituit Deus cōcionem de filio suo paulò clarius. Abrahæ posteritas creuit, & adeptæ est regnum Canaan. Hic iterum nullus habet excusationem inter alias gētes. Nam fama de uera religione sparsa fuit multis occasionibus inter gentes & Iudeos, donec Christus ipse uenit & uulgauit Euāgelion suum in orbem terræ. Hic iterum nullus habet excusationem usq; in finem mundi. Non mirum quidem est, quòd Turcæ & Iudei non requirunt ueram religionem Christi,

cūm

cū uideamus nec ipsos Christianos
hoc sollicitè curare. Quot obsecro ha-
bitant in desertis locis ac syluis, q̄ nun-
quā aut rarissimè audiunt concio-
nes? & tamen hi sciunt festināter pro-
perare ad quasuis nundinas, et res su-
as etiam leuiculas carissimè uendere.
Breuiter, concio de Christo semper
fuit in orbe terrarum, aliquādo obscu-
rius, aliquādo clarius, & qui uoluerit
ueram pœnitentiā peragere, huic ne-
cesse est, ut credat, quòd Deus remit-
tat peccata, non propter merita ope-
rum, sed tantūm propter Iesum Chri-
stum. Nam in Euangelio perspicuè di-
citur: Sic Deus dilexit mundum, ut fi-
lium suum unigenitum daret, ut om-
nis qui credit in eum, non pereat, sed
habeat uitam æternam. Et iterū: Qui
credit filio, habet uitam æternam. Qui
uerò non credit filio, non uidebit ui-
tam, sed ira Dei manet super ipsum.
Et Petrus Acto. 4. Non est aliud no-
men sub cœlo datū inter hoīes, in quo

DE POENITENTIA

oporteat nos saluos fieri. Et iterum cap. 10. Huic oēs Prophetæ testimoniū ferunt, q̄ remissionem peccatorū accepturus sit per nomē eius, quisquis crediderit in eū. Ac rursum cap 15. Neq̄ patres nostri neq̄ nos potuimus portare iugum legis, Sed per gratiā Dñi nostri Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quemadmodum & illi. Quare nemo absoluit pœnitentiam, nisi credat in Christū, nec quisq̄ consequitur salutē, nisi habeat in Christo remissionem peccatorū per fidē. Quo modo ergo datur nobis fides in Christum? Num ociosis speculationibus? Minimè, sed dat nobis prædicatione Euangelij de Iesu Christo, Dicit enim Paulus: Quō credent absq̄ p̄dicantes. Et mox: Fides ex auditu est, auditus autem per uerbū Dei. Quare ad assequendū Christū per fidem, necessariū est, ut audiamus concionem Euāgelij de Iesu Christo, necessariū est, ut uox Euāgelij sonet semp̄ in auribus & in corde

corde nostro. Hoc nostrum sit oci-
 um, hoc negocium, hoc somnus, hoc
 uigilia nostra sit, uidelicet, ut semper
 in corde nostro sonet uox Euangelij,
 quo Spiritus sanctus habeat organon
 suum, ut sit efficax. Dicit enim, Euan-
 gelion est potentia Dei ad salutem o-
 mni credenti. Quare contemptores
 & persecutores concionum Euange-
 lij non agunt poenitentiam, non insti-
 tuunt uitam suam in melius, sed ma-
 nent in ira Dei &c. Vides etiam non
 audiendam esse concionem Euange-
 lij, ut opus, quod propter actionem
 ipsam, per se ualeat ad expianda pec-
 cata, sicut finxerunt hypocritæ, sed ut
 discatur Christus, & concipiatur fi-
 des in Christum, qui solus est sapien-
 tia, iusticia, sanctificatio, salus & re-
 demptio nostra. Cæterum Christus
 ut consuleret humanæ imbecillitati,
 non instituit concionem Euāgelij nu-
 dam, sed adiecit duo præcipuè sacra-
 menta, uidelicet Baptismum & Cœ-

DE POENITENTIA

nam Dominicam. De baptismo nunc pauca dicenda sunt. Nam baptismus ad hoc institutus est, ut qui baptifatur, incorporetur per hoc sacramentum Christo & omnibus eius bonis. Sic Paulus docet Galat. 3. Quicumque baptifati estis, Christum induistis. En uides baptismum esse sacramentum, quo induitur baptifatus Christo. Et Roma. 6. Consepulti sumus per baptismum in mortem eius. Vides iterum baptismum esse sacramentum, quo accipiens baptismum sepelitur cum Christo, ut cum ipso resurgat, hoc est, ut sit particeps omnis maiestatis eius. Et hoc sacramentum non debet tantum applicari adultis, sed etiam infantibus. Nam infantes pertinent etiam ad Christum. Christus ipse factus est infans, mortuus est etiam pro infantibus. Et dixit, horum esse regnum cœlorum. Et spiritus sanctus uaticinatus est per Esaiam cap. 49, afferent (inquiens) filios tuos in uulnibus

nis, & filias tuas super humeros portabunt. Hic docet quod infantes, si afferantur, debeant recipi in Ecclesia, & baptismo sanctificari. Etsi enim non intelligunt ipsi, quid agatur, tamen intelligit Ecclesia, intelligit Christus ipse, qui est autor salutis infantium. Et si puer ad iustam ætatem peruenierit, docendus est omni cura, ut & ipse intelligat, quid secum actum sit. Accepit quidem antea Christum, sed cum per ætatem licet, necesse est ut etiam intelligat Christum, quo in baptismo indutus est. Quare qui uel ipsi non accipiunt baptismum, cum possint, uel nolunt infantes suos baptisari, ut Anabaptistæ, hi non agunt poenitentiam, non instituunt uitam suam in melius, sed manent in ira Dei. Nos autem qui accepimus baptismum, debemus operam dare, ut cum in eo sepulta sint & submersa peccata nostra, non resumamus ea, sed ambulemus in nouitate uitæ, ut ad perci-

DE POENITENTIA

piendam æternam fœlicitatem resurgamus unâ cum Christo Iesu Domino nostro, qui est unâ cum Patre & Spiritu sancto laudandus Deus in secula, Amen.

HOMILIA QVINTA.

Quomodo Christus conseruetur in nobis.



IN doctrina de pœnitentia, quam superiori die exposuimus, dictum est Christum acquiri per fidem, Fidem autem dari per prædicationem Euangelij, cui additum sit sacramentum baptismi: Baptismus enim sacramentum est, quo induimur Christo. Nunc uidendum est, quomodo Christus conseruetur: non enim sufficit, ut semel acquiratur, sed necessitas exigit, ut conseruetur quoq; in nobis, & habeat sempiternam in nobis mansionem, quò unâ cum ipso perueniamus ad regnũ cœleste. Conseruatur autem eadem

re, qua acquiritur, uidelicet, fide. Fides autem alitur prædicatione Euangelij de Iesu Christo. Quare ad agendam poenitentiam & conseruandum Christum, necesse est, ut non semel tantum, sed frequenter, imò semper audiamus, aut tractemus Euangelion Iesu Christi, cuius cum priuata absolutio pars sit, diligenter est obseruanda & audienda.

Deinde, fides alitur etiam Coena Dominica. Christus enim instituit Coenam Dominicam, non ut esset tantum signum, quo Christiani ab impijs discernerentur, sed ut esset alimentum fidei nostræ, & conseruaret nos in Christo. Vocat enim Coenam Domini, testamentum suum, & iubet nos meminisse mortis eius. Sicut autem in testamento solent legari bona testatoris, ita Christus discessurus ex hoc mundo instituit Coenam suam pro testamento, in quo legauit Ecclesiae suæ corpus & sanguinem suum, pane &

DE POENITENTIA

uino. Et legauit ei in hunc usum, non ut conficiendum esset ex ea sacrificium pro uiuis & mortuis, sed ut p̄ intelligentes imbecillitatem fidei suæ, alerent fidem hoc scibo corporis & sanguinis Dominici. Quare qui agunt poenitentiam, debent etiam uti hoc sacramento. Nam qui contemnunt, & non utuntur eo, cum possent uti, hi non agunt poenitentiam, sed adhuc sunt in ira Dei. Adhæc Christus conseruatur oratione & inuocatione nominis diuini per nomen eius. Orandum autem est, non tantum ceremonialiter, sed multo magis serio & fide, præsertim in afflictionibus & cruce, iuxta illud: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Et Christus: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Item: Quæcunq; petieritis in oratione credentes accipietis &c.

Præterea conseruatur Christus obedientia in bonis operibus, quæ Deus exigit.

us exigit. Non enim manet Christus cum peccato, ut uocant, mortali, iuxta illud Pauli Roma. 8. Qui in carne sunt Deo placere non possunt. Et iterum: Si secundum carnem uixeritis, moriemini. Et aliàs: Neq; ebriosi, neque adulteri, neq; fures, neq; rapaces &c. regni Dei hæreditatem accipient. Quare qui agit pœnitentiam debet mala fugere, & in bonis operibus ambulare, ut Christus in ipso maneat.

Postremò Christus conseruatur obedientia in aduersis. Nam qui abiicit aduersa, peccatis, maledicentia, murmurationibus & execrationibus, is non est Christi, Non uult crucem ferre cum Christo, neq; est Christo dignus, iuxta illud: Qui non accipit crucem suam, ac sequitur me, non est me dignus. Item: Quisquis non uoluit iular crucem suam, & uenit post me, non potest meus esse discipulus. Talis igitur amittit Christum, hoc est, os-

DE PŒNITENTIA

mnem salutem & fœlicitatem. Paucissimã dixi de pœnitentia (non enim ferebat ratio temporis plura addere) sed in his occupati debemus esse totis vitæ nostræ diebus. Dixi enim, summam esse necessitatem, ut agamus pœnitentiam, ut saltem animam seruemus, quia non licet cœtera seruare. Ad agendam autem pœnitentiam, necesse est, primùm, ut fugiamus peccata, & faciamus bona opera, quæ Deus à nobis exigit, et ob id etiam nobis Decalogus proponitur, ut ex eo discamus, quæ bona opera facere debeamus. Deinde, quia non possumus ipsi peccata expiare, & perfectè bona opera facere, agnoscendus est Christus, qui affert remissionem peccatorum, & donat nobis suam iusticiam: Et ut plurima, imò omnia dicam breuibus, In Christo Iesu tota nostra salus & redemptio sita est. Quare danda est opera, ut Christum consequamur & conseruemus. Consequimur autem

autem eum per fidem. Fides (ut Paulus inquit) ex audita est Euangelij. Euāgelio additum est Sacramentum Baptismi: Oportet igitur nos audire Euangelion & baptifatos esse. Conseruatur autem Christus per fidem, quæ alitur prædicatione Euangelij, Absolutione & Cœna Dominica, Cōseruatur item oratione & obedientia in bonis operibus & aduersis.

Hæc ergo pio homini faciendæ sunt, ut conseruato Christo, conseruemus perpetuam nostram salutem in Christo Iesu Domino nostro, qui est unâ cum Patre & spiritu sancto laudandus

Deus in secula,

Amen.

F I N I S.

a S

Loci præcipui

ET INSIGNIORES, QUI IN
hoc libello de Pœnitentia
tractantur.

A.

DE Absolutione 103 b. absolutionis utilitas	107 a
Absolutio priuata retinenda	14 b
Afflictiones distributæ in quatuor genera	21 a
Afflictiones tentant fidem	96 a
Afflictiones piorum item facinorosorum	121 a
Agnitio peccatorum prima pœnitentiæ pars	55 a

B.

De Baptismo	78 a
Baptismus quid sit	81 a
Baptismi primus institutor Deus	79 b
Baptismi primus minister Ioannes	80 a
Baptismi primus confirmator Christus	ibidem
Baptismus successit in locum circumcisionis	80 b
Baptismus est adoptio	84 a
Baptismi & Cœnæ Dominicæ discrimen	92 a
de Bonis operibus 129 b. Bona opera quæ facienda	131 b. 170 a

C.

Christus Monarcha	44 b
De	

De Cæna Domini	89 a
Cæna Dominicæ contemptores	ibidem b
Cæna Dominicæ institutio	90 a
Cæna Dominica quid sit	91 b
Cæna Domini testamentum dicitur	92 b
Concio prima Ioannis & Christi	41 a
de Confessione, qualis olim fuerit, nimirum disciplina, ut explorarentur uoluntates redeuntium ad Ecclesiam	10 a. 107 b
Confessionem generalem esse retinendam, et quòd absolutio non sit uox humanæ autoritatis	13
Confessio auricularis	100 b
Consuetudo quando seruanda	40 a
de Contritione, qualis debeat esse, et quàm necessaria, tum quas occasiones habeat inchoandi	4. a
in Doctrina Monachorum de contritione duo necessario reprobenda	5 b
Contritio sit filialis et sacrificium accensa fide	7 b
Contritio unde concipienda	100 a
in Contritione uera peccata uera consideranda	164 b. 167 b
Contritionis ueræ effectus seu signa	166 a
de Cruce 119 b. Crux electicæ	121 b
in Cruce quomodo nos geramus	124
in Cruce consolationes	125 b
D.	
Dauid penitentia exemplum	164 a

I N D E X.

Decalogi breuis explicatio	190 b
Decalogi usus qui & quot	67 b
De dicto Pauli 1. Timoth. 4. Attende lectioni, con- solationi & doctrinae &c.	26 a
Dicti Christi explicatio: Si quis diligit me, sermo- nem meum seruabit	31 a
E.	
Ecclesia dissimilis altiarum gentium	30 a
Ecclesia cruci subiecta propter multas causas	19 a
De prædicatione Euangelij	69 a
Euangelium quid significet	70 a
Euangelium uerum & sanctum quid sit	73 a
Euangelium unicum tantum	74 b
Euangelij utilitas	77 a (199 a)
Euangelij prædicatione semper fuit in orbe terrarum	
Errores tres taxandi in enumeratione delictorum, præsertim arcanorum	12 b
Errores q̄ taxandi de Canonicis satisfactionib.	22 b
Excommunicationis Cereemonia qualis apud pri- mos patres	16 a
F.	
De festis diebus, itē festa in populo Iudaico	154 a
Festorum in Christianismo ratio	157 a
De Fide	173 a
Fides in Christum secunda pœnitentiæ pars	55 b
Fide depellenda indignitas nostra	116 a
Fides anima hominis iusti, itē lumen	133 a
Fides	

I N D E X.

Fides exercetur mora 114 b

H.

Hom:nis conditio miserrima 71 a

Homo quomodo possit remittere peccata 104 a

Horologia ueterum 142 b

I.

Ieiunium duplex 138 b. spirituale 141 b. legale, ibidem.

Impiorum mores, gaudium, &c. 126

Impænitētes nō pertinēt ad Cœnā Dominicā 99 b

Inexplorati cur ad communionem non admittendi 109 a

Infantes cur baptizantur 88 a

Ira Dei grauissima 72 a. 193 a

Iustificandi una uia 75 b

L.

Lectiōis duplex fructus, publicus & priuatus 33 a

De prædicatione Legis 59 b. 132 a

Legis seu decalogi usus 66 a

Legis prædicatione quomodo differat ab Euangelio

Leges de festis 156 a. (73 b)

M.

Ministri Ecclesiæ etiam mali possunt absoluerè à peccatis 106 b

Miraculorum ratio 105 b

Monachorum errores de satisfactione 18 b

Monarchiæ huius seculi quatuor 42 a

I N D E X.

Musica cur creata à Deo 152 b

O.

Obedientia creaturarum 132 b

Obedientia nostra tertia pœnitentiæ pars 56 b

De oratione 110 a

Orationis promissiones, item oratio asyllum in afflictionibus 112 a

Orationis uirtus & efficacia 116 b

P.

Papatus & Christianismus in quo differant 137 a

Parochia una tantum in Israël 156 a

Pauli dictum: Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur, explicatur 24 a

Peccatū natura homini inherens quō compescenda Pœnitētia et eius partibus 46 b. 49 a (dū 130 b)

Pœnitentiæ partes iuxta scholasticorū opinionem

Pœnitentiæ ueræ partes 50 a (49 b)

Pœnitentiā quā sit necessaria 186 b

Pœnitentiā quomodo agenda 189 a

Q.

Quomodo bona regni cœlorū consequamur 45 b

Quòd corpus & sanguis Domini in Cœna sint ueræ

Quomodo consequamur Christum 197 (re 93 b)

Quomodo conseruetur Christus in nobis 102 b

R.

Ratio non apprehendit Christū 198 b (ctione 23)

Refutatio argumentorum quorundam de satisfactōne
Refutatio

I N D E X.

Refutatio obiectionis dicti illius: Peccatores Deus non exaudit	• 25 a
Regni cælorū status & conditiones	44 b. 47 b
Regnum cælorum quando incepit	47 a
Religiones falsæ in quo conueniant	137 b

S.

De Sacramentis	181 a
De Satisfactione, quid significet, item de Canonica satisfactione &c.	15. 102 b
Satisfactionis Canonice definitio	17 a
Satisfactio nostra non adserenda in arcanum iudicium Dei	18 a
Satisfactiones Monachorum	18 b
Sobrietas necessaria homini Christiano	144 a
Superstitiones in audiendo uerbo Dei	58 a

T.

Tempora sunt æqualia Christiano, quod attinet ad iustificationem	39 b
Thymiamatis cultus	112 a

V.

Verbum Dei diligenter obseruandum	41 a
Verbi Dei prædicatio	58 a
Verbi Dei auditus unum necessarium	144 b
Verbi auditui cedunt leges	145 a
Verbi prædicationis partes	151 a
Verbi Dei ministerio omnia obedire debent	161 b

F I N I S.

4398-4

1814

1814

1814

1814

1814

1814

1814

1814

1814

1814

1814

1814

1814

1814

1814

1814

1814

1814

1814

1814


1814

1814

1814

1814

1814



10/10/10

10/10/10

de ois esur q' de m' aduoc
q' de ca' ip'm de ca' sepa

q' nima diligen' i
nd' e' m' n' nri su' vio
digend' e'. n' n' nodu'
q' huc i uacie copi
ribac. .16.

que' que' de job' nrb' rebha
rebha q' nime' uice' ap'ca
uois i ap'ca' ne' p'one' de
rela' e' annid' i p'ur' q' i m'
auois ap'ca' ne' rep'ansio

